ENCHIRIDION
Tres Tractatus complectens

D E

SOMNIIS, CABALIS,

E T

CACODÆMONIBUS.

JOANNIS BAPTISTÆ VIGLIONI
SACERDOTIS NEAPOLITANI

ENCHIRIDION
Tres Tractatus complectens
DE SOMNIIS, CABALIS, ET CACODÆMONIBUS,

AD

EXCELLENTISS. PRINCIPEM

JULIUM VISCONTI BORROMEUM, ARESIUM,

Picuæ Brebiarum Comitem, Hispaniarum Magnatem amplissimum, Equitem Insignis Ordinis Aurei Velleris, a Consiliis S. C. & C. M. intimum, Generalem Tormentorum Ducem, & in regno Neapolitano Vice-Regem, Locumtenentem, & Capitaneum Generalem, &c.



NEAPOLI M. DCC.XXXIII.

PUBBLICA AUCTORITATE IMPRESSUM.



EXCELLENTISSIMO DOMINO

JULIO VISCONTI.



UBLICÆ felicitatis contemplatio ſenſuſque fecit, Princeps Excellentiſſime, ut te non ita pridem renunciato Regni hujus moderatore auſpicatiſſimum nuncium commune gaudium exciperet, nulluſque eſſet, qui ſibi, civibuſque ſuis non lætaretur, atque gauderet: ita enim recens dignitas, novumque decus, quibus virtutibus, meritiſque tuis divino velut Cæſaris noſtri conſilio incrementum acceſſit, omnium beneficium, atque ſolamen eſt habitum, ut incolumitatem ſuam, atque ſalutis præſidium præſentiſſimum quiſque adſecutus fuiſſe

videretur. Ea namque de te, deque amplitudine tua vera fama retulerat, ut inter celsissimas animi tui dotes illam infimam, subjectis tamen jucundam, populis acceptissimam diceret, atque laudaret, te nimirum magna fortunæ pignora perpetuò virtuti servire coegisse, & quicquid unquam honoris, quicquid dignitatis non ambitione, aut luxuriantis fortunæ favore es assecutus, id omne ad publicam omnium lætitiam, & communem utilitatem, nil vero ad privati compendii accessionem pertinere te voluisse. Hæ sanè erant, Heros præstantissime, populorum communes hilaritatis causæ; sed quod ego mihi ipsi privatim gratularer, animusque felici nuncii adventu maximo afficeretur gaudio, non pubblicæ solùm securitatis adeptio, sed & propriæ diu exoptatæ sortis votum tandem consumatum effecit. Eram namque jam pridem in tui cultum tractus, teque ipsum, ut magnum nostræ Italiæ decus, atque ornamentum contemplaveram, & veneratus eram, quin memoria recolens maxima beneficia, quibus inclyta domus tua, optimique adscendentes tui tot gentes, totque Partenopeas familias ornaverant, totve alias elevaverant, ut communiter monumenta testantur, ad tui amorem, & obsequium adactus eram; atqui, ut hærerem ignotus, mihique ipsi viderer ingratus, negata hactenus erga te cultus occasio faciebat. Quare igitur præ cæteris non exultarem ego, atque letarer? cum felici sydere, Cæsare jubente, ut hanc sortireris moderandam Provinciam, te Principem meum nancifcerer, tuisque sub auspiciis studii mei stipendia essem prosecuturus, videbar enim, eam me adsecutum sortem, qua obsequentis animi pignora præsens tibi exhiberem, meæque erga te observantiæ testimonia possem proferre, atque benefactis saltem voluntatis affectu re-

respondere. Hoc igitur faventis fortunæ occasione utar, & innumeros inter illos, qui te adventante, imperiique habenas capessente, virtutum tuarum sacrarium petent, obsequium pro cujusque facultate litaturi, ego cum primis magnum limen nuperæ Bonitatis adeptæ subibo, tibique, Princeps optime, immolato prius animi mei, rerumque omnium mearum arbitrio, & sublimitate tuæ benignitatis venerata, pretiosiora, quæ mihi sunt vota, studiorum scilicet meorum primitias nomini tuo consecreta offerre audeo. Nec vereor quidem, quod ea faventi animo, quamquam dignitati tuæ imparia, non sis suscepturus; id enim proprium est Principum virorum decus non ex pretio, sed ex animo oblata metiri, ut qui numinum vices inter mortales exhibentes, recte norint, vota solventium illum esse conceptum, vili suspensa tabella magnum orari, vel testari beneficium. Itaque pro benignitate, qua præstas, erit, si hæc ista exceperis, & operi, atque Authori tui patrocinium induxeris: id si assequar, nil quidem vel optabilius, vel felicius studiis meis accidere potuisse gratulabor, quam sub nova cœli temperie tantum eis adscivisse Mœcenatem, qui & pretium addat operi, & dignum censuerit, quod vel uno tutelæ suæ radio illustratum, studiosorum subjiciatur oculis. Tu enim is es, ter maxime Heros, qui atavis editus Regibus, gentis tuæ decora omnia in te uno complectens, quicquid gloriæ, quicquid dignitatis, & honoris unquam in fulgidissimum familiæ ærarium congessere illi, pretiosiori virtutum tuarum emolumento adauges. Summum quidem est tuæ nobilitatis fastigium, iis referre inclytæ domus progeniem, quorum ex sanguine, Angleriæ sceptro fortitudine sibi parto, aliisque civitatibus ut imperarent, prognati sunt Reges. Excelsum profecto est, eam ostentare præclarissimam tuo-

rum majorum feriem, cujus minimum decus eſſe videtur, continenti, nec unquam interrupto ſucceſſionis complexu ad quamplurium centenariam annorum aſſiduitatem Ticini, Cremonæ, Bergomi, Laudis Pompejæ, Placentiæ, Novaræ, Vercellis, Alexandriæ, Tortonæ, Patavii, aliarumque civitatum, præſertim Mediolani dominium ducali dignitate decoratum referre, auguſtum eſt ſane, tot recenſere Heroes, quod Regium Genus tuum protulit natos: porrò duodecim Cæſarum admirabilia geſta Suetonius Tranquillus admiratus fuerit; ſed admodum admirabiliora illis duodecim Mediolanenſium Dominorum Paulus Jovius viſu obſtupuit; quorum præcipuè unum eſt, ut hic celebrandum ſeligam, ne omnibus recenſendis quamplura volumina facere cogar, unum, inquam, illud maximè immortalitati mandatum, animi nempe magnificentia haud ſatis commendabilis eſt, qua a Joanne Maria Viſconti ſecundò Mediolani Duce Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ejuſque viſibili Capiti Papæ Bonifacio, Bononiæ, Peruſii, & Aſſiſii dominium dono traslatum ſtupore legitur. Sed quid ego memoria repeto vetera, & mentis oculos per antiqua gentis tuæ monumenta circumfero? Quid enim gloria ſuis tibi, quam eo genitum te Patre dicere, cujus pro dignitate, vel minores recenſere dotes, impar eſt omnis oratio; mihi de eo hæc ſedet ſententia, nulla virtute majoribus ſuis minorem fuiſſe, qui eorum nulli magnitudine, opibus, animique celſitudine fuit inferior; Vir ad magna omnia natus, cum omnium potitus eſſet, blandientis fortunæ auram modeſtia, animique moderatione compreſſit. Aſſumpſit eum ille Rex in laborum curarumque conſortium, ſed Regiminis particeps, ſociuſque factus non niſi Reipublicæ ſalutem meditari, ſubditorum ſecuritatem cogitare; magnitudinem, & poteſta-

teſtatem ſummæ fortunæ adeptus invidiam, & arrogantiam effugit, utque cum dignitate cæteris excelleret, par omnibus videri voluerit pietate erga Deum, fide erga Regem, probitate erga amicos, beneficentia erga ſuos, magnanimitate erga ſubditos, clementia erga ſupplices adeo claruit, ut Reipublicæ ſecuritati, omniumque bono natum, factumque, non modo hoſtes, ſed & ipſa invidia teſtetur. Grandia quidem ſunt hæc, & ſublimia, Optime Princeps, fortunæ munera, quæ ad te ornandum accedunt; ſed tu tantis majoribus tantoque Patre genitus, tantarumque virtutum feliciſſimus hæres, gentilium tuorum radiis fulgere leve reputaſti; adſervaſti quidem tot tantaſque dotes tuis in laribus, ſed ut eas precioſiores redderes, & perpolires; Et votum conſumaſti feliciter ita, ut nobili invidia avorum tuorum manes lædi videantur; Quid enim gloriæ, vel precii adſecuti ſunt ii, quod tu non reduxeris, & ſuperaveris ultro. Militaris virtutis ſpecimina ut ederes, adoleſcentem te videre orbem Regis tui ſtipendia merentem; Ducis ſubire munus, quo te precox militaris artis adeptio, & perſpecta generis tui claritas admovebat, inglorium duxiſti, quoniam bellorum diſcrimini te ipſum imperantis dignitas ſubducere reputaſti; itaque militis munia ſubire, & exequi maluiſti, ut majore, quam ferebat animo ætas, perduelles peteres mucrones, in hoſtium ora dirigeres, collato pede pugnares, ordines turbares, nec niſi proſtrato hoſte recederes; ſic eam aſſecutus es militaris fortitudinis gloriam, ut vel hoſtes ipſos eam laudare, atque exoſculari coegeris; Belli ſortem expertus; ad pacis artes te traxit Cæſaris obſequium, & amor, Italiam aliaque loca mitteris moderator, ut ita tam manu ſtrenuus, quam conſilio ſagax, tam Sago fortis, quam Toga prudens probareris; Belgium

gium quoque mitteris Gubernator & Dux, ubi nihil est, quod egeris, quod te Regis nostri, omnisque illius populi lætitia bono datum non probet; sive enim unius juribus promovendis, sive alterius amplitudini substinendæ turbatis, pacatisque rebus, qua magnitudine animi, qua solertia ingenii, qua dexteritate mentis studeas, ita demandatas tibi partes integre explevisti, ut unus videaris, qui tantum volueris decenter munus implere. Pompeji magnificentiam, qua Regis tui potentiam, & utriusque Orbis Imperium ostentas, Augusti liberalitatem in te Belgium revisit, ut de te vox illa redierit, sub Trajano jactata, Italiæ deliciæ, & amor Mediolanensis Princeps; hùc dudum ad hujus Regni moderamen, & imperium admovens, tuique te similem, semperque parem expectat Parthenopes, ut tui regiminis dulcedine aurea reddant Saturnia secula, tuisque virtutibus eo altius promoveas gentis tuæ nitorem, ut amplius efferri posse negetur. Tantum igitur Mœcenatem, quantus es tu humanitate clarus, dignitate fulgidus, studiis meis italicam visuris lucem adscivi, qui si suum spoponderis, illis patrocinium facies, ut eam sint adeptura claritatem, qua tuum coruscat nobile nomen. Cæterum illud tibi orationis meæ compendio testatum habe, me, non tam sponte, quàm maxima benignitate tua coactum, mea studia tibi consecrantem tuis sub aupiciis accipies. Vale, Princeps Optime, & te præsidium, & dulce decus nostri, diu Creator Cæsari, & nobis Nestoreos in annos servet incolumem.

Neapoli 4. Idus Majas 1733.

Excel. Tuæ.

Humillimus, & addictiss. Servus
Joannes Baptista Viglioni.

Pro eodem Excellentiſſimo Domino.

EPIGRAMMA

Acroſtichum Teloſtichum decuſſatum.

JULIE	JUre potes,	VAlido dux	Jnclyte	civ	I
URbi es tu	VIgil; eſto	IUvans ò	UNdique vis		U.
Lumina tu præbes,	LUx	SOlis	LUcida procu		L.
IN ſcripto hoc	INdis.	CEù lux	IN vertice libr		I
VIglioni omen,	VErax qui	OMnia	VAſtaq; dict		U.
SIc lege.	Sint hæc dona	NTIs tibi	SEria	curi	S

Pro-

Pro eodem.

ODE SAPPHICA
SERPENTINA.

ECce qui tota dominatur urbe;
Huc prope o turbæ: regit en probatus
Laude donatus Neapolim potentem
Cuncta tenentem.
O ego mentem capio disertam
Dum mihi certam, sociabo dictum
Carmine invictum; cano te benigne
Julie digne.
Uxor ex igne innumero videndi
Labe non mendi memores amores:
Cæsaris mores dominando civi
Numine divi.
Unde festivi venient puelli
Floridi & belli, juvenis pudicus,
Atque mendicus, senior peritus,
Sponsa, maritus;
Qui dabunt ritus modulo canentes
Facta dicentes seriem tuorum,
Et tui morum. Sed ego repletum
Carmine lætum.
Linquo Sebethum? ciet ipse Cycnos
Arte sed dignos: ciet hic amœnam
Voce Syrenam: ciet & sororum
Omne decorum.
Astra cœlorum reboant ad omen
Quod gerit nomen; Venus aure tentat,
Cæsarem pensat, properat fidelis
Ducere cœlis.
Æquor in velis placidum silebit,
Triton augebit sonitus melatos.

Astra

Astra sic latos referent honores,
Terra stupores.
Si viro flores melior sacrabit,
Ergo laudabit meritum Viglioni,
Cujus est doni colere hunc Patronum
Ad bona pronum.
Dat libri donum, paginasque plenas,
Carpe Mecænas: simul & canentem
Cerne, dicentem tuas gesta ad annos
Nestorianos.

Franciscus Mondelli Sacerdos.

JOSEPH CITO
Lectori.

QUum in Literaria Republica plurimos de omni ſcientiarum genere homines eruditiſſimi libros quotidiè conſcripſiſſent, quorum alii ſua pravitate ſtudioſæ Juventuti poterant eſſe detrimento, alii verò non modicæ utilitati optimis de rebus differentes; complures propterea Viri præſtantiſſimi id labore ſuo perfecerunt, ut omnium Authorum opera patefacerent, quibus veluti coacervato quodam apparatu in ſtudiorum ratione ſuſcipienda literis dediti adoleſcentes uterentur. Cumque verò de Somniis, Cabaliſque, nonnulli Scriptores reperiantur, nemo tamen hactenus laborem ſuſcepit, quo ſenſu eorum libri intelligendi, quæve imitanda, quæque tanquam Orthodoxæ fidei diſſona, reſpuenda forent, demoſtrandi: hoc enim ſatis ſuperque patet in Jacobo Gaffarello, ex Provincia Provinciæ oriundo, Theologiæ, & Juris Canonici Doctore, qui quamvis diſertiſſimè conſcripſerit Indicem Codicum Cabaliſticorum manuſcriptorum, quibus eſt uſus Johannes Picus Mirandulanus, in hoc tamen etiam culpatur, quod Scriptores Cabaliſticos plus æquo adamaverit. Ad boc igitur cum animum advertit ſuum Johannes Baptiſta Viglioni, vir tum de humanis diſciplinis, tum Theologicis ſtudiis optime meritus, novit ſane, plurima ſupereſſe, quæ ab aliis Authoribus, aut plane omiſſa, aut difficilibus præceptis tradita, in ſtudioſæ Chriſtianæ Juventutis commodum colligenda eſſent, atque enucleanda: quare librum hunc de Somniis, Cabalis, & Cacodæmonibus, non abs re duxit elucubrandum, in quo peculiariter diſſeritur, Somnia, & Cabalas pro futurorum

mere

mere contingentium notione haudquaquam media naturalia, neque accidentalia esse, & Cacodæmones nulla prorsus eorundem præscientia pollere. Quem simul ac literatissimi nostræ Civitatis homines perlegerunt, non modo probarunt, verum Authorem sunt etiam atque etiam hortati, ut in lucem ederet, ne literaria Respublica eo careret labore, quem ipsi maxime profuturum intellexere. Et quamquam huic consilio nonnullis ex causis modestus Author primum obstitisset, Amicorum tamen precibus resistere diutius non valuit, utque prælo committeretur, tandem aliquando permisit. Libenti igitur animo, Lector, hunc librum, excipe, & in eo miraberis in locis difficilioribus, & abstrusioribus expediendis ingenium, ac felicitatem Authoris, quem summa laude extolles, ubi animadvertes, quam facillimè, quod sibi proposuit, fuerit assecutus. Reliquum est, ut qua es gratia, atque humanitate, opus hoc probes: nam cum a te probatum senserit, sibi facilius aliud edere suadebit. Vale.

EMINENTISSIME DOMINE.

LIbrum, cui titulus, *Enchiridion* tres tractatus complectens *de Somniis, Cabalis, & Cacodæmonibus* a sapientissimo Viro Jo: Bapt. Viglioni conscriptum, jussu Em. V. summa animi jucunditate legi; & in eo nihil prorsus reperi, quod orthodoxæ fidei, bonisque moribus adversetur; nihilque, quod à veritate devium sit, deprehendi. Immo doctissimus, & præ cæteris disciplinis in re Theologica consultissimus auctor hoc suo opere novum veluti armamentarii genus Christifidelibus ad debellanda superstitionis monstra summo labore publicæ utilitati consulens parat, ac suppeditat: quare omnibus, qui bellum superstitionibus gerunt, adeo profuturum arbitror, ut cuique hisce solis armis munito facillimum sit triumphum celebrare. Omnia, quæ in ipso legimus firmis Sacrarum literarum oraculis, perspicuis conciliorum decretis, validissimis Sanctorum Patrum testimoniis, solidissimarum rationum momentis ab eruditissimo auctore præstantur. Quare, si Em. V. auctoritas accesserit, typis mandari posse censeo. Neapoli die VII. Maii MDCCXXXIII.

Em. V.

Humillimus, atque addictissimus Famulus
Can. Franciscus de Jorio.

Attenta supradicta relatione Domini Canonici revisoris imprimatur. Neapoli 14. Maii 1733.

D. ANTONIUS CAN. CASTELLI VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Deputatus.

EXCELLENTISSIME DOMINE,

Librum, qui inscribitur *Enchiridion*, tres tractatus complectens *De Somniis*, *Cabalis*, *&* *Cacodæmonibus*, a Joanne Baptista Viglioni Sacerdote Neapolitano exaratum, jussu Excellentiæ Vestræ perlegi. Nihil planè in eo animadverti, quod regiis juribus adversetur, sed potius singularem quandam eruditionem Ecclesiastico Scriptore dignam, admiratus sum; etenim non modo vanitates, ac superstitiones mentibus hominum altius inhærentes, evelli atque exstirpari; verum etiam saniorem doctrinam e sacris fontibus, sanctisque Patribus haustam tradi, recta sanè & facillima methodo, non sine summa animi mei delectatione inveni. Quare proficuum Christianis viris futurum existimavi, illum in lucem prodire, si tamen Excellentiæ Vestræ placitum accedat. Neapoli die XXIV. mensis Aprilis MDCCXXXIII.

Exc. V.

Umillimus, atq; addictissimus Servus
Cyrus de Alteriis.

Visa supradicta relatione imprimatur, & in publicatione servetur Regia Pragmatica.

ULLOA REG. GIOVINE REG. VENTURA REG.
CASTELLI REG. PEYRI REG. PATERNO REG.

Provisum per S. Ex. Neap. die 28. Aprilis 1733.

Mastellonus.

Illustriss. Dux S. Joannis non interfuit.

IN-

INDEX

Tractatum, & Capitum totius Operis.

TRACTATUS I.

DE SOMNIIS.

CAP. I.

CAP. II.

CAP. III.

CAP. IV.

CAP. V.

TRACTATUS II.

DE CABALIS. fol. 59.

TRACTATUS III.

DE CACODÆMONIBUS. fol.105.

TRACTATUS I.
DE SOMNIIS.
ISAGOGICON.



ÆTERAS inter naturales proprietates, quibus homo uti animal dotatum constat, quies, seu somnus firmissimè enumeratur, uti canit Virgilius (*a*).

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono Divum gratissima serpit.

quo Natura fessos, lentosque artus pristino vigori restituit, vitam ipsam servat, scribente Seneca de Tranquill. *Somnus refectioni, & vitæ necessarius est.* Quinimo eundem appellante Arist. (*b*) *Animalis quietem in somno esse perfectissimam*; ideo voluptate quadam somnum ipsum pollere, ut homo ejusdem minime tædio afficiatur, adhuc eadem natura statuere voluerit, & sic Pyth. scripsit: *Magna quidem est somni voluptas*; nihilominus umbram vitæ, mortisque figuram illum esse, naturæ Author posuit; etenim homo sopore affectus æquè a morte, vitaque procul esse perpenditur juxta Gal. sensum (*c*): *Somnus est mortis frater; nam alimenti elaboratione excepta, quæ somno cum viventibus est communis, cætera mortem referunt, non videre, non audire, nihil intelligere, vel cogitare, vel sentire, ratione carere, ac breviter projectum esse. Quid itaque aliud est somnus (illo communi ablato) quàm via ad interitum.* Et hoc factum esse arbitror, ut homo medietatis vitæ (sublata altera a somno uti a morte) qua fruitur, assiduè memor, magis suis actibus conformis legibus fuerit.

Aliud quippe mirum, quod dormientibus accidit, est somnia pati, quatenus ex somno somnia pullulare quippè cernuntur: sic Virg. (*d*)

.... *Huc dona Sacerdos*
Contulit, & cæsarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit;

A Mul-

(a) *Lib. 2. Æneidos.*
(b) 8. *Phys. comm.* 20.
(c) *De causis pub. lib.* 3.
(d) *Lib.* 7. *Æneidos.*

Multa modis ſimulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque Deorum
Colloquio, atque imis Acheronta affatur Avernis.

Et tamen cum hac quietis virtute homo utatur, ſomnia ex ea orta ſcrutando, eadem abuti dicitur, ob ſuperſtitionis ſcelus, quod temerè patrat. Sinite amabò hac occaſione, ut intimo animi dolore oppreſſus exclamem; dum fermè cunctos fideles evaſiſſe ſomniantes, & ſic ſuperſtitioſos video: plerumque Ethnicorum inſtar interpretes in excogitandis quotidie ſomniis, eiſque noctu, diuque deditos intueor; hac de cauſa in ruinam ſpiritualem in diem labeſcere obſervo. Quamobrem etſi mihi ingenii ſit curta ſupellex, quàm ſuppetunt vires, cauſam non deſtituam, ut flagitioſum hoc facinus, atque ſuperſtitioſum ſcelus luculenter eliminetur.

Sed ut bene finem mei operis ſortiar, Dei adjutorium flagitem, qui linguas infantium facit eſſe diſertas, ut quæ hic deſunt, ſua divina gratia ſuppleat, & quæ debilia reficiat; ad ejus namque laudem dirigam quicquid hìc exaratur, utpotè Magni S. Patris Aurelii Auguſtini eloquio inſtructus (a): *Tibi ſerviat Deus meus quidquid loquor, & ſcribo, & lego, & numero.* Tu ergo JESU auxiliaris, & dux potentiſſimus de ſanctuario tuo auxilium mitte, & qui ſpiritu tuo ſanctiſſimo fidelium intellectum perficis, meum quoque hoc eodem, quæſo, illumina, ut quomodo latentem in ſomniorum opinione Charybdin, quæ multorum animos abſorpſit, evitare queant incauti, dextrè edoceam, & te duce aliis in hoc freto nataturis a periculoſo flexu viam ad veritatis portum apertam monſtrare queam. Fiat o bone JESU! fiat!

C A P. I.

Quid ſit Somnus, quid Somnium, quæque ſint Somniorum cauſæ?

S Y N O P S I S.

I. *Somnus ſaluti corporis plurimum valet, & operationes ſomni tempore effectæ actus hominis, non vero actus humani appellantur.*

II. *Som-*

(a) *Lib.* 1. *Confeſſ. cap.* 15.

II. *Somnus penes Philosophos varias sortius est definitiones.*
III. *Uti magis veritati consona recentiorum Philosophorum somni definitio adducitur.*
IV. *Quare homines sani nimium interdum dormiant?*
V. *Somnium quid sit, describitur.*
VI. *Assignatur discrimen inter somnum, & somnium.*
VII. *Somniorum causæ productivæ quæ sint, assignantur.*
VIII. *Phantasia, seu vis imaginatrix, definitur.*
IX. *Sæpe quoque somniamus ea, circa quæ per diem occupati sumus; & ideo quomodo Lucretius poemat, notatur.*
X. *Nobis sicut vigilantibus, ita magis dormientibus ideæ, & internæ apparentiæ occurrunt, & in hisce duobus statibus discrimen asseritur.*
XI. *Ministerio animalium spirituum cuncta somnia habentur, & hujusmodi spirituum animalium alii vitales, alii animales dicuntur: ubi pariter bruta somniare asseritur.*
XII. *Non est assignabilis actio humani corporis, ejusque artuum motus a dictis spiritibus animalibus non procedens.*
XIII. *Quid nomine spirituum animalium intelligitur.*
XIV. *Assignatur quoque pro somniorum causa remota, & mediata somniantis temperamentum, seu elementarium qualitatum complexio.*
XV. *An hujusmodi qualitates elementares, aliique humores sint admittendi?*

I. EX naturalibus proprietatibus, quibus animal pollet, ad incolumitatem suampte servandam spectantibus somnus, aut sopor eruitur, ut plurimum a natura ad fessos, lentosque artus in priscum reddendos vigorem ordinatus cernitur, uti bene loquitur Romanæ Eloquentiæ Marcus Tullius Cicero (a): *Cum jam quieti corpus nocturno impetu dedi, sopore placans artus languidos*: idcirco brutis per somnum homo assimilatur; quoniam ejus actus in sopore, seu somno effectos nunquam humanos nominandos esse Theologi communiter docent, nullo præmio, nulloque supplicio dignos esse dicunt, utpote haud gestos intelligentia, & volitione, quæ quorumcumque moralium actuum, uti cardines necessario intelliguntur.

(a) *Lib. 1. de divinatione.*

II Somnus itaque variam penes priſcos Philoſophos ſortitus eſt declarationem, quam ſic tradidit Plato: *eſſe remiſſionem, & tanquam laxationem ſpiritus ſenſibilis*; ejuſque vero diſcipulus Ariſtoteles ſomnum ſic definit: *eſſe immobilitatem, ſeu nodum, ac vinculum ſenſus, ſicuti vigilia ſenſus relaxatio, & ſolutio*. Zeno ait, *eſſe contractionem, atque animi lapſum*. Strabo apud Tertullianum, *conſiti ſpiritus ſegregationem*. Xenophanes penes eundem: *deſiteſcentiam quandam*. Plinius: *animi in medium ſe receſſum*. Averroes, & Avicenna, *impotentiam ſenſuum propter animam ſpiritus retrahentem*. Et idem Avicenna (*a*) ſic quoque ſomnum deſcripſit, *eſſe quietem virtutum motivarum, & ſenſitivarum*, aliorumque ſimilium antiquorum.

III. Recentiores vero Philoſophi omnes conveniunt, utpote in Philoſophia veteribus accuratiores, ex animalibus ſpiritibus ſomnum gigni docere videntur; ſic Theodor. Cranen (*b*) ait, *ſomnus ſine dubio provenit ex magna imminutione ſpirituum animalium; ita tamen ut tam copioſè exiſtant, ut placidè poſſint cerebrum inflare, & replere*. Ettmmull. (*c*) *Somnus naturalis ex imminuto ſpirituum in organa externa influxu dependet*. Frommann. (*d*) *immediata ſomni cauſa eſt ſpirituum animalium detentio, eorumque in organa ſenſus, motuſque influxus prohibitus*. Idcirco Doctores iſti, ſomnum, vel in defectu, & exinanitione, vel detentione animalium ſpirituum collocare obſervantur; qua de re ſic definiri poſſit ſomnus uti proveniens ex detentione: *eſt motus ſpirituum animalium aſcendentium, atque occludentium ſenſorii meatus, quorum miniſterii impedimentum ad organa ſenſuum communium producens*. Si vero procedit ſomnus ex ſpirituum defectu; quia ex prævio habito labore illi conſumpti cenſentur, ideo ſtatim nervorum relaxatio oritur, & ſopor, ſeu ſomnus accidit, quo quia habita cibi digeſtione, per chylum, iterum digeſti ſpiritus animales recuperantur; non ſic eſt aſſerendum, quando ſpiritus animales detenti habentur: nam niſi facta eorum conſumptione haudquaquam vigilia ſperatur, quæ excuſſo ſomno per illorum diſſipationem, inſtar nubium diſſipatarum, uti lux ſolis ſtatim producitur: idcirco ſomnus naſcens ex detentione, quodammodo ſpiritus animales ligan-

(a) *In 1. tract. par. 1. cant. cant.*

(b) *In lib. de homine cap. 60. in tract. de ſomno.*

(c) *In Collegio practico art. 2.*

(d) *Lib. 3. par. 6. cap. 4. §. 2.*

ligantur; nascens verò ex exinanitione, seu defectu protinus illi consumuntur; semper tamen in utroque modo sensus omnes somnus impedit: quare Aristoteles de somn. & vigil. benè ait: *Somnus est non uti sensibus*. Subjectum autem somni Thomas Willis declarat (*a*). *Subjectum*, inquit, *somni immediatum statuimus majorem istam animæ sensitivæ portionem, quæ in cerebro radicata, & exinde in plurimas corporis partes diffusa functiones, ejusque spontaneus author est: mediatum vero cerebrum ipsum, partesque omnes sensibiles, & motrices, quæ in eo communicant*.

IV. Uterque autem casus nobis comperit: Priorem in hominibus multo vescentibus, & minime laborantibus, nimiam spirituum animalium copiam producentibus, & ita facilius dormientibus, experimur; Posteriorem vero in illis summo motu, seu labore agitatis, & præsertim Opificibus per longam temporis intercapedinem laborantibus spirituum animalium consumptionem causantibus, semper cernimus. Ex quo explanatur, potentiam carentem habitu exercitii alicujus operis, quod exercetur, facilius laxari, quam illam potentiam ipsum continentem: licet Thomas Campanella in tract. medicinalium juxta propria principia (*b*), Somnum interdum causari per frigus, hisce verbis loquitur: *Somnus inquit, fieri per frigus quo omnes partes corporis rigent, frigore gelantur humores, & spiritus intra cerebrum, & nervos, ut nimio frigore, & strictione, tenentur*.

V. Hinc ex somno interdum sæpè somnium gigni experimur, scilicet quasdam phantasticas apparentias, internasque visiones, somno, seu sopore affecti observamus, quandoque pulcherrimas numquam excogitatas, sive gestas, sicuti alias elatiores, cæterásque nimia formidine præditas res intuemur, quibus modo divites, modo pauperes, modo Proceres, modo inferiores nos esse cognoscimus: mirabiliora quippe somnia, uti scenicos actus dormiendo conspicimus, uti bene Thomas Willis de Anima brutorum (*c*), post relatas somniorum causas, ejusque effectus hisce verbis refert: *Sunt tantum excursus quorundam spirituum in cerebro ligatione solutorum, qui dum cæteris arcte constrictis, huc, illuc sine duce, aut regulatore quovis divagantur, atque motuum typos veluti choreas prius edoctas repetunt; rerum prius actarum cogitationes (licet more valde confuso) repre-*

senta-

(a) *In suo tract. de Anima brutorum, cap.16.*

(b) *Lib.6. cap.4. art.10.*

(c) *Cap.16. de somno.*

sentare solent. Quapropter quidam somnambuli appellantur; utpote collustrantes, varia percurrendo loca, vestibus induunt, fores aperiendo per civitatis plateas abeunt, iterumque eorum domus regrediantur; quando autem è somno excutiuntur, numquam talium operum recordentur, quæ profectò absque ulla prorsus cognitione conficiuntur instar eorum motuum in animalibus irrationabilibus evenientium, quatenus materiali quodam modo dumtaxat gignuntur, ut notat Purchotius (c) qui postquam concludit, somni causas esse animales spiritus, sic loquitur: *Primo somnus in eo, quod spiritus animales detineantur, aut nimium evacuentur, videtur esse collocandus*, paulò post hisce notis docere sequitur: *in hoc quippe discrepant somniantes ab iis, qui vulgo somnambuli appellantur, quod somniantes in lecto suo compositi cum aliis confabulari, variisque negotiis vacare per somnum sibi videantur; quia motibus in cerebro factis eorum mentes excitantur, somnambuli vero tametsi diversa loca concursando perlustrent; de iis tamen minime cogitent, nec eorum, quæ tunc temporis gesserunt, postea recordentur; quoniam solo spirituum animalium è medulla spinali defluentium motu agitantur*.

VI. Facile ex notato est colligere inter somnum, somniumque discrimen, cum primus sopor animalis, secundum illusio, seu phantastica visio vocetur; tametsi somnia jugiter omni ex somno minime patiamur; quoniam non semper quiescendo somniamus: aut dumtaxat uti plurimum ex illis somnis per defectum spirituum animalium provenientibus præposito maximo labore somnia nascantur, non ita frequenter ex eorumdem spirituum detentione juxta ea, quæ modò dixi, & mox subdam.

VII. Extravagantia, quæ irrumpunt, dum somniamus, effectus certè merè naturales nominari mereantur; ac proinde suas causas adhuc tales nimirum habere designant: etenim nullum naturale a semetipso excitatur, sed ab alio a se distincto ortum suum agnoscens juxta vulgatum philosophorum affatum, omne, quod movetur, ab alio movetur; cum nullum naturale ens a seipso ortum tenet. Quamobrem somniorum causas duplices esse ex celebriorum, sapientiorumque Philosophorum scitu asserimus. Alteram proximam, seu immediatam, & alteram remotam, seu mediatam esse exponemus.

VIII.

(a) *In par.3.Physices sect.3.cap.2.prop.4.*

VIII. Prima utpote causa proxima somnii sunt ipsimet animales spiritus, quorum solo motu in phantasiam habito, variæ apparentiæ, & figuræ suscitantur, ut relatus Willis loco citato insinuare videtur: *Insomniantibus spiritus excitant omnino interius versus corpus collapsum lati, tantùm imaginationem, & memoriam afficiunt*; & præfatus Fromman. (*a*) *Supponimus somniorum causam esse cerebrum per nervos spiritus animales*: Phantasia namque, seu vis imaginatrix a Philosophis definitur: Est sensus internus, quo res sensibiles sub imaginibus corporeis represéntantur, quodque spirituum animalium ministerio exerceatur, qui univoce impressione figuraturum rerum in phantasia imprimunt, earumque imagines formant instar Chyrographorum in cera impressorum; impressiones autem istæ, vel ex re visa, vel acta, vel in phantasia imaginata, licet diu præterita; quia per horum spirituum animalium motionem agitantur, denuo uti viva apparentia præfatorum præteritorum moliuntur, ac si etiam quædam ceu impossibilia haud conspecta, minimeque excogitata, unquam gesta, atque audita, semper illis spiritibus animalibus tribui debent, variè sic, vel ita in phantasia dispositis, atque per accidens in hac vel illa forma coadunatis, necessario ex illis varias figuras, illusiones, atque apparentias phantasticas prodi debere, quisque fatetur; porrò actus diurnos, cæterasque res, quibus per diem interdum incumbimus, præcipue actiones proprii habitus sive boni, sive mali, sive proprii muneris sæpè sæpius somniamus. Hinc valde liberales, & benefici se aliis largiri somniant, mendici petere, cantores canere, Philosophi disputare, avari pecuniam congerere, alii alia similia somniant; ideoque Aristoteles (*b*): *Bonorum hominum somnia meliora esse, inquit, quam aliorum: propterea quod consilia, quæ ad virtutum officia exercenda sollicitè agitant, eadem eis in somno occurrunt*. Unde Lucretius merito poemat:

IX. *In somnis eadem plerosque videmus obire*
Causidicos causas agere, & componere leges:
Induperatores pugnare, & prælia obire:
Nautas contractum cum ventis degere bellum;
Et quo quisque fere studio defunctus adhæret,
Aut quibus in rebus multum simus ante morati.

Cumque omnia, & similia connotata non a Deo, neque a sideribus nobis

(a) *Loco cit.* §.7. (b) *Primo Ethic. cap.* 13.

nobis immittuntur, sed ea quisque sibi facit, varia illorum spirituum motione habita, scenicas illas visiones mentibus dormientibus ingerit: quare Titus Petronius Arbit. satiricon(*a*) de hac re sic quoque poemat:

Somnia, quæ mentes ludunt volitantibus umbris,
Non delubra Deum, nec ab Æthere numina mittunt;
Sed sibi quisque facit. Nam cum prostrata sopore
Urget membra quies, & mens sine pondere ludit;
Quidquid luce fuit, tenebris agit. Oppida bello
Qui quatit, & flammis miserandas sævit in urbes,
Tela videt, versasque acies, & funera Regum,
Atque exundantes perfuso sanguine campos.
Qui causas orare solent, legesque, forumque,
Et pavido cernunt inclusum corde Tribunal.
Condit avarus opes, defossumque invenit aurum.
Venator saltus canibus quatit, eripit undis,
Aut premit eversam periturus Navita puppim.
Scribit amatori meretrix. Dat adultera manus.
Et canis in somnis leporis vestigia latrat.
In noctis spatio miserorum vulnera durant.

X. Hoc autem semper nobis sive vigilantibus, sive dormientibus occurrit, isto tamen inter utrumque statum habito discrimine; quatenus vigilia affecti, dum præfatas internas intuemur ideas, atque ineptas, imo ridiculas apparentias intelligimus, risu utpotè fallaces præstò expellimus; mentem nostram, cæteroquin ratione utendo, ad actus nostros humanos, ad quos tendimus, coercemus; quare per illas, quas sæpe patimur ideas phantasticas, in assiduis distractionibus labimur. Dormiendo vero, quia ratione non utimur, illusiones illas expellere nequimus, & sic animalibus illis spiritibus summa libertas præbetur, variè varias figuras disponentibus. Hinc penitus discriminatura dictis idea illa uti intellectus, & voluntarie excogitata (licet ministerio prædictorum spirituum in phantasia exhibita cujusvis rei) etenim hæc a Philosophis verbum mentis appellatur.

XI. Secreta igitur quavis formidine spirituum animalium ministerio somnia cuncta oriri assentiendum est. Cum igitur bruta omnia quidem præfatis spiritibus polleant, adhuc & ipsa somniare Titus Lucretius docet (*b*) hisce metris:

Non

(a) *Cap.4. & Fragmentor. cap.107.* (b) *Lib.4. de rer. natur.*

Non homines ſolum, ſed verò animalia cuncta:
Quippe videbis equos fortes (cum membra jacebunt
In ſomnis) ſudere tamen: ſpirareque ſæpè:
Et quaſi de palmis ſummas contendere vires;
Aut quaſi carceribus patefactis ſæpè quiete,
Venatumque canes in molli ſæpè quiete,
Jactant crura tamen ſubito; voceſque repente
Mittunt, & crebrò reducunt naribus auras,
Ut veſtigia ſi teneant inventa ferarum.

Quapropter ſpiritus, quos in animalibus omnes unanimiter comprobant, duplicis ſunt generis, alii vitales, alii verò animales dicuntur. Priores ad bonum animalis motum vitalem conducunt; adeo ut vitalis iſte motus neceſſarius, ſeu naturalis vocatur, quique invita voluntate excitatur, puta cordis motus, ſyſtoles, vel diaſtoles. Poſteriores verò ad voluntatis nutus tendunt, atque ad motum ſpontaneum defluunt; eſto uterque motus neceſſariò in animalibus exquiritur, hoc tamen diſcrimine, quia ſpiritus vitales ſic appellati, quatenus ad animalis vitam ſervandam neceſſario eorum motu a natura ordinantur: ſpiritus autem animales ſic dicti, quia ad omnes, & ſingulas ipſiuſmet animalis functiones exercendas, eorum quippe miniſterio, ab Authore naturæ ſtabiliuntur, uti bene relatus Purchotius (a) ait: *Tum quoque firmius ſtat corpus, & ad operandum habile redditur, cum nervi, & muſculi a ſpiritibus animalibus tenduntur*. Hinc eſt, quod omnis motus voluntarius hominis mediantibus dictis ſpiritibus animalibus efficiatur, ſed non omnis motus in homine ſpirituum animalium dicitur voluntarius, atque ſpontaneus, uti eſt motus ille eorundem animalium ſpirituum per varias eorum combinationes in phantaſia factas, varia nobis ſomnia oſtendit.

XII. Qua de re aſſignabilis non eſt hominis actio, ejuſque artuum motus, qui non ex dictis ſpiritibus animalibus ortum agnoſcit, ſive ſint effectus animi, puta admiratio, amor, odium, cupiditas, gaudium, triſtitia, & quævis enumerentur paſſiones; ſive ſint ſenſuum tum internorum, tum externorum actus, procul omni timore a ſpirituum animalium congerie efformantur; per illos laboramus, per illos movemur, per illos quieſcimus, per illos quemlibet hominis actum demùm exercemus; ac proinde mirum non eſt, ſi tot illuſiones,

B atque

(a) *3. par. ſect. 3. cap. 2. prop. 3.*

atque phantasticas apparentias, dormiendo interdum nimis mirè intuemur.

XIII. Nomine itaque spirituum animalium particulæ subtilissimæ, & purissimæ sanguinis intelliguntur, ad quemcumque motum, sive vitalem, sive spontaneum, ad quamlibet sensationem sive internam, sive externam ordinatæ cernuntur.

XIV. Cæterum somniorum effectivæ causæ, seu mediatæ uti plurimum proprium somniantis temperamentum, suapte complexio elementarium qualitatum (quæ qualitates sive sint in composito, sive non, meum non est hic judicare) assignari videntur, quibus ex alterutris plus minusve pollens somnians, pulchriora, terribiliora, & similia somniando observat, quæ somnia naturalia dicuntur: quia ex naturali affectione, corporum temperamento, humorumque incursionibus, aliisque ejusmodi nascuntur; adeout qui melancholia, sive flava bile abundant, funera, jurgia, aliosque tristes effectus somniant; qui verò multas continet pituitas, aquas, pluvias, portus, aliaque somniando imaginantur, & sic de singulis humoribus dicendum: idcirco Medicorum princeps Hippocrates (*a*), sicuti Aristoteles (*b*), monent a medicis ægrotantium somnia perpendenda esse, ut morborum causas facilius cognoscere valeant, & eorum qualitate inspecta, humores intus latentes dignoscant: ea de causa celebris Galenus in lucem, librum de præsagio ex somniis sumendo, edidit. Dixi causam mediatam, seu remotam somniorum esse interdum temperamentum, seu præfatos humores; quia hujusmodi mediantibus ipsis spiritibus animalibus, quos juxta eorum naturam movendo, varias phantasticas figuras, atque somnia gignunt.

XV. An hujusmodi qualitates elementares, aliique humores sint admittendi? jam protuli, hoc munere hic non fungor, sed Philosophis, aut Medicis tale dubium solvendum magis erudite, relinquo: sed unum tantum assero, si præfatos animales spiritus immediatam causam somniorum non esse, altera causa naturalis nobis ignota certo esse deberet, & quæ?

CAP.

(a) *In lib. de insomn. & 6. Epid.* (b) *In lib. de Divin. per somnia.*

CAP. II.

Quas personas in somno, & ad quid Deus alloquitur, & de circumstantiis, quibus Dei allocutio in somno facta, agnoscitur.

SYNOPSIS.

I. *Sex divisiones somnii Divi Gregorii afferuntur.*

II. *Alias somnii divisiones adducunt Hugo Victorinus, & Hippocrates.*

III. *Quæ divisiones allatæ tanquam superfluæ respuuntur.*

IV. *Non est ponendum in dubium, quandoque Deum, vel Angelos per somnia loquutus esse hominibus.*

V. *Dum certò constet somnia a Deo immissa fuisse, eis plenam fidem adhiberi posse.*

VI. *Adhuc, si quod est immissum per somnia a Deo, sit captu difficile, fidei certitudini subjici potest.*

VII. *Facilia media, quibus unum somnium a Deo, vel Dæmone immissum sit, traduntur.*

VIII. *Potest Deus interdum per somnium mediatè dormientibus loqui, scilicet per suam divinam gratiam, ipsam impertiendo.*

IX. *Et quoque somnium potest esse immediata Dei allocutio, quam per materiam ejusdem locutionis Dei esse dignoscitur, quæ præcipuè nulli legi, nullique virtuti opponi debet.*

X. *Ponitur, & solvitur objectio, qua dicitur interdum malum sui natura tale, Deum præcepisse.*

XI. *Altera conjectura attendenda ad Dei somnium secernendum, est somniantis conditio.*

XII. *In Sacra Scriptura Deum adhuc scelestas personas, morum vulgaris conditionis allocutum esse legitur, quibus ad quid facta sit hujusmodi locutio, declaratur.*

XIII. *Si nimia pusillanimitate, vel confidentia somnium contingat, immissum a Deo æstimandum non est.*

XIV. *Cæteræ circumstantiæ Dei somnium comitantur, quibus illud a Deo immissum, conjicitur.*

XV. *Angeli quoque, Sancti, eorumque Regina, somnia dormientibus immittunt.*
XVI. *Cacodæmon sua somnia etiam dormientibus potest insinuare.*
XVII. *Cacodæmones duplicis generis somnia efformant.*

I. SEx somnii divisiones Divus Gregorius (*a*) ex totidem causis commemorat: puta ex corporis plenitudine, vel inanitate, ex antecedentibus diurnis curis, & Dæmonis illusione, ex hominis agitatione, simul cum Dæmonis illusione, ex Dei revelatione, & ex hominis cogitatione simul cum Dei revelatione.

II. Hugo autem Victorinus (*b*) (licet nonnulli, hujusce libri illum fuisse authorem, negent) quinque somniorum genera adducit. Primum dicitur Oraculum, & est quando Deus, sive ejus Sancti futurum aliquod, vel non futurum omittendum, vel exequendum in somno manifestant. Secundum appellatur visio, & accidit, quando, eo modo, quod in somno quisque visit, sibi diurno tempore evenit. Tertium somnium assignatur illud, quod figuris tegitur, & hoc sine interpretatione intelligi nequit. Quartum nominatur insomnium, & est illud, quod ingerit dormienti, per quod fatigatus est. Quintum nuncupatur Phantasma, quod observatur ab illo, qui dormire cœpit, & adhuc vigilare se existimat. Hippocrates (*c*) duplex esse somnium docet, divinum scilicet, & naturale. Primum quod Deus injicit; alterum, quod ex ipsius dormientis affectionibus procedit. Alii verò in divina, dæmoniaca, naturalia, & animalia, somnia dividunt.

III. Sed mihi videtur tam hujus, quam præfatorum primi subsellii Doctorum notatas somnii divisiones prorsus superfluas esse, & entia non sunt sine necessitate mutiplicanda; nam in bona Dialectica, vera divisio in pauciora membra quò potest, fieri debet, ad hoc ne membra dividentia ad invicem se adæquent, ut patet attendenti. Quapropter duplex assero esse somnium, internum, sive naturale, & externum. Primum quid sit, & quatenus procedat, & quæ ejus causæ sint, in præcedenti capite explanatum cernitur. Posterius vero somnium dicitur, quod a causa externa ortum obtinet: somnium externum

(a) *Lib.8.Moral.cap.13.& 14. & lib. Dial.cap.48.*
(b) *In lib. de Spiritu, & Anima cap. 25.*
(c) *In lib. de somniis.*

num appello, non quia extra nos fit, sed quatenus ejus causæ non sint eædem somnii interni intra nos existentes. Hinc causa hæc somnii externa multiplex esse potest (uti bene citatus Gregorius loquitur) scilicet Deus, Deipara, Angeli, Sancti, & uti censetur communiter etiam Cacodæmones; omnes namque certè extrinsecæ causæ somnii esse valent, uti mox probabo.

IV. Et primò ambigendum non est, quandoque Deum per somnia hominibus esse loquutum, nimirum multiplex est de hac re in sacro eloquio testimonium: sic somnium a Deo Abimelech (*a*) & Regi Geraræ, & Labano (*b*). Imò Job (*c*), *In horrore*, inquiens, *visionis nocturnæ, quando sopor solet occupare homines, tenuit me*; *&* alibi paulo post, *terrebis me per somnia &c.* sic Gedeoni, (*d*) & Judæ, ejusque exercitui (*e*) & iterum Job (*f*): *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo: tunc Deus aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina.* Joeli pariter prophetæ (*g*) *Senes vestri &c.* Salomoni 3. Regum (*h*) Joseph (*i*) Israeli (*k*) Mardocheo (*l*) Ægypto, (*m*) Nabuchodonosori, (*n*) & Num. (*o*): *Si quis inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* Et in novo Testamento, Sancto Joseph, & tribus Magis, (*p*), aliisque passim a Deo immissa fuisse somnia, in utroque testamento apertè constat.

Compluria alia somnia, refert historia, idest visiones in somno effectas, quæ quibusdam viris sanctè viventibus, atque dormientibus occurrerunt: sic visio Eusebio Episcopo Carthaginensi oblata, teste Victore Uticensi (*q*) Visio Pincernæ post obitum Sidonii, teste Gregorio Turon. (*r*) Visio Bertæ Matri Sancti Sueberti, teste Beato Marcellino (*s*) Visio Sancto Abramio Confessori, Metaphr. in ejus vita. Visio Henrico Imperatori, teste Rupert. in vita Sancti Hereberti (*t*) Visio Sancto Lutgero apud Monachos Wertinens. in ejus vita (*u*). Visio Sancto Hu-

gonio

(a) *Gen. cap.* 20.
(b) *Gen. cap.* 31.
(c) *Cap.* 4. *vers.* 13.
(d) *Jud. cap.* 7.
(e) 2. *Machab. cap.* 15.
(f) *Cap.* 33. *vers.* 15.
(g) *Cap.* 2. *vers.* 18.
(h) *Cap.* 3.
(i) *Gen. cap.* 37.
(k) *Gen. cap.* 35.
(l) *Esth. cap.* 11.
(m) *Daniel. cap.* 2.
(n) *Daniel. cap.* 4.
(o) *Cap.* 1. *&* 2.
(p) *Matt. cap.* 12.
(q) *De persecutione Wandalica*, 2.
(r) *Lib.* 2. *Hist. Franc. cap.* 23.
(s) *Cap.* 1.
(t) *Cap.* 26.
(u) *Cap.* 11. *&* 16.

gonio Gratianopolitano apud Guidonem in ejus vita. Visio Hartmanno Tuitiensi. Conrad. in vita Sancti Wolphelmi. Visiones Elpediphoro, teste Joann. Præsbyt. in vita Sancti Basilei Episcopi, & Martyris. Aliæque innumeræ visiones, quæ, ne afficiam vos tædio, prætereo: satis superque itaque dormientes homines Deum allocutum fuisse, comperitur. Hoc autem quoque Scaliger hisce carminibus retulit:

Qui vera negat somnia, somnians profatur,
Nàm non semel invehimus, & nimis frequenter,
Perraraque nox præterit absque sensatione.

V. Quod autem peculiari animadversione est dignum, est quod si somnia, cum certò constaret, hominibus immissa fuisse a Deo (quod minime facile sit ad hujusmodi tenendam certitudinem) qui utpotè Ens omnes possibiles perfectiones simpliciter simplices includens, & quaslibet pariter imperfectiones excludens, quippe uti infinitè sapiens falli non potest, & uti infinitè verax fallere nequit; sequitur, hujusmodi insomniis posse fidem adhiberi, eaque credere: quandoquidem Deus omnipotens quomodolibet nos alloquitur, sive immediate, sive mediate, sive in somniis, sive in vigiliis, uti infallibilis authoritas, totam fidem nostram meretur.

Et hujusmodi fides (supposito tamen certè somnio a Deo immisso) prorsus ab omni dubio secreta esse debet: aliter divinæ authoritati loquenti injuria quoque irrogaretur; idcirco meritò Stephanus Papa omnibus Episcopis significavit (*a*): *Dubius in Fide est infidelis*; idque in Clementina 1. §. Porrò de Summa Trinitate, adhuc confirmatum observatur.

Ad cujus rei intelligentiam illud *dubium in Fide*, in præsenti, positivum non negativum usurpari assero: nam dubium in Fide negativum utique infidelitatis notam secum trahere non videtur: puta (tene Doctorum exemplum) si alicui intellectui dogma credendum occurrat, & negativè erga illud se gerat, minime propositum articulum reflectendo, quinimmo ad alia se distrahat, infidelitatis notam non contrahi communiter DD. docent.

Tamen bona pace hujusmodi Doctorum, dubium in Fide negativum allati exempli, haudquaquam hoc esse opinor: quandoquidem intellectus, cui dogma credendum occurrit, de eo negativè utique non

(a) *In cap. 1. de Hæret.*

non dubitat ; sed illud esse dogma verè noscit, & credit, tamen ad alia se distrahendo non peccat ; quia pro omni ferè temporis momento, actum fidei eliciendi obligatos nos esse, non noscimus, quum nullibi hoc præceptum tam assiduè obligans appareat (quamquam nec unquam, nec raro proficuum illum fidei actum elicere cogamur ex tot propositionibus proscriptis, quarum prima est in ordine ab Alexandro VII. & 4.5 6.7.16.17. & 65. in ordine ab Inn.XI. bene explanatæ ab admodum Reverendo Patre Dominico Viva) ; & ideo peccatum ei non adscribitur, dum spontè ad alia se distrahit.

Hinc dubium negativum sui natura est mera intellectus suspensio ; nullo habito motivo ad inclinandum in unam, vel alteram oppositam partem, sed prorsus anceps remanet, & sic non operatur, neque ad illud objectum fertur, imo potius ab eo retrotrahitur : sic si intellectus negativè dubitet, an aliqua doctrina sit Catholica, atque dogmatica, vel non (quæ de facto dogmatica, atque Catholica est) omni penitus motivo carens in partem affirmativam, vel negativam inclinandi, cum nullatenus intellectus ille operetur, imo potius a tali objecto, seu doctrina retrotrahitur, nulla pariter ei hæresis nota tribui valeat, quia negativè dubitare videtur. Et sane cum nullus in tali intellectu sic dubitante sit error voluntarius, & pertinax contra revelatum mysterium, ideò bene docet Franciscus Zabarella in relati textus explanatione : *Textus intelligi debet de dubitante cum pertinacia, & animi deliberatione ; si enim dubitaret ex scrupulo conscientiæ, vel per primos motus, non tamen inhæret, sed potius credit illud, quod credit Ecclesia Catholica, non est hæreticus*. Sic pariter nos instruit ejus doctissimus discipulus Abbas Panormitanus super eodem textu, ubi inquit: *videretur, quod omnis homo sit infidelis ; nam nullus homo reperitur, qui aliquando ex scrupulo conscientiæ, vel ignorantia non dubitet in fide*.

Secus verò de dubio positivo asserendum est, quod cum sit operatio intellectus, licet formidolosa, & incerta, seu assensus fidei incertus, & fallibilis, utique infidelitatem consequitur : puta, quispiam elicere audens de quodam fidei articulo ægrum assensum, temerè de ea veritate tutissima suspicari, impudenter inquiens, *forte erit, vel non erit ita*, profectò dubius in fide positivè est ; ideoque infidelis meritò appellatur, ita communiter cum Cajet. *(a)* & Toleto *(b)* ubi notant, si ho-

(a) 2.2.*quæst*.11. *art*.2. (b) *L*.4. *cap*.4.

si homo baptizatus, & de articulo ab Ecclesia proposito positivè dubitet, hæreticus est. Quamobrem si tutus quisque factus, veram Dei locutionem in somnis sibi contigisse, huic locutioni omni infallibilitate præditæ, firmiter, & quavis timoris labe remota, credere potest; nam omnis immediata Dei locutio, uti de ore suo procedens, semper de fide habenda est; & ideo Divus Augustinus (a) cum omnibus Sacræ Sciptūræ interpretibus monent sensum literale sacri eloquii (nisi absurdum, vel error nascatur) semper de fide habendum esse, utpotè immediate ab ore Dei procedentem.

VI. Adhuc siquid in somniis a Deo immissis acciderit, sit captu difficile, semper plena fide credendum est: quandoquidem objectum formale, siveintrinsecum motivũ assensus supernaturalis divinæ fidei, est ipsamet divina authoritas loquens, per essentiam infallibilis; idcircò si nequeat ab intellectu nostro, quod est a Deo apertum, capi, solius intellectus defectus est, finitæ agnitionis, & curtæ intelligentiæ; dum quod de fide est, & plurimum est nostra ratione superius, seu supra, atque extra humanæ intelligentiæ limites, ad effectum ut divina fides suum merendi locum habeat juxta textum Joan. (b): *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*: ex quo tenemur captivare nostrum intellectum non intelligentem in obsequium Sanctæ Fidei, ut monet Apostolus (c): *Et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*; etenim hac obscuritatis nota, nobis idem Apostolus fidem nostram significavit ad Hæbr. (d) *Est autem Fides sperandarum substantia rerum, argumentnm non apparentium*; quæ *non apparentium* dictio, fidem nostram certam, imo certissimam, sed prorsùs obscuram ostendit, ad discrimen scientiæ, quæ assensum evidentem lumine rationis gignit, quare rectè Angelicus Doctor canendo hortatur: *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem*: liquet igitur, somniis, dummodo a Deo immissis, plenam esse fidem tribuendam, quavis semota hæsitatione. Sed hanc certitudinem teneri, quà somnium a Deo sit immissum, difficillimum summopere est.

VII. Quamobrem ne quisque mente laboret in agnoscendis somniis a su-

(a) *Lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 1. 15. & 16.*
(b) *Cap. 20. ver. 29.*
(c) *2. ad Corinth. cap. 10. ver. 5.*
(d) *Cap. 11. ver. 1.*

a supremo Numine initis, ab illis a Cacodæmone; ideo nimia tutela hac in re perpendenda procedendum est, quædam certa indicia exponendo, quibus facilè agnoscitur, num somnia Dei, vel Dæmonis sint.

VIII. Tutè ut procedam, distinctione utor: vel istud divinum somnium est mediatum verbum, nempe spiritus ipse divinæ gratiæ, quæ erga intellectum, & humanam voluntatem tendens, illum supernaturali illustratione excitat, & istam interna inspiratione inflammat in ordine ad æternam vitam, uti Oecumenica Tridentina Synodus definit*(a)*& sequentibus*(b)*& utique omni hæsitatione eliminata, illud a Deo immissum censensum est: etenim supernaturalis hujus divinæ gratiæ unicus, & proprius author est Omnipotens,& Æternus Deus, a quo unicè pendere potest, & utpote essentialiter in nostrum bonum ordinata, per ipsam mediatè justificamur, quam autem justificationem Dilectissimus, & Unigenitus Dei Filius dominus noster JESUS Christus, ut ejus causa meritoria propter nimiam charitatem, qua nos dilexit, sua sanctissima passione nobis promeruit, sic citata Synodus *(c)* decernens docuit; ex quo sine adjutorio hujusmodi divinæ gratiæ supernaturalis, ullum actum salutarem, sive æternæ vitæ meritorium neque incipere sequi, neque complere valeamus; hoc autem catholicum dogma definitum quoque patet in pluribus aliis Conciliis ad eliminandos tot errores tum *Pelagii* in Conc. Diospoli Palestinæ proscriptos sub Innoc. I. celebrato, præsidente Joanne Episcopo Hierosolymitano, ut Hieronymus *(d)* testatur; tum quoque errores *Cassiani* *(e)* de Institutis Cænobiorum *(f)* expunctos in Conc. Arausicano 2.; tum quoque *Jansenii*, qui totaliter divinæ gratiæ favens nostram libertatem destruendo, erravit; quodque adhuc expunctum in cit. Tridentina Synodo legebatur.

IX. Vel hujusmodi somnium est immediata allocutio Dei, qui immediatè dormientem alloquitur, uti nos amicos nostros facie ad faciem alloqui solemus, & supra modum prudentia, & attentio pro vera Dei somnii agnitione adhibenda est hac in re nimis delicata, cui nil prodest aliud, quàm propria rei divisio: quare erga somnium, materiam somniatam, conditionem, seu qualitatem somniantis, & modum, circa quem ipsum somnium accidat, sigillatim decerpimus.

C Assero

(a) *Sess.6. cap.5.*
(b) *Et can.3.*
(c) *Cap.7.*
(d) *In Epist.79.*
(e) *In lib.*XII.
(f) *Cap.*11. *&* 12.

Affero igitur, materiam fomnii a Deo immiffi neceffariò debere effe juftam, honeftam, veritate affectam, poffibilem, vel extantem, fanctam, piam, nulli legi, five naturali, five divinæ, five pofitivæ humanæ, nullis virtutibus neque Theologicis, neque Cardinalibus, neque Moralibus, aliifque in ordine ad æternam vitam pertinentibus, necnon confiliis Chrifti Domini, neque immediatè, neque per fequelam oppofitam, unanimiter Theologi cum Ecclefia fanciunt. Et ratio liquet, cum præfata materia fomnii, vel mala effet, quia mala ex intrinfecis fuis perperam nominatur; vel mala, quia a legibus pofitivis five divinis, five humanis vetita; vel quia a divinis confiliis abfona, uti eorum deftructiva, vel Fidei Catholicæ, vel Catholicorum moribus adverfatur: Deus autem cum fit ipfamet bonitas, & fanctitas per effentiam, atque fubftantialiter hoc malum, uti fuæ naturæ, fuæque fanctitati oppofitum, fuadere nequeat: itaque fomnium hujufmodi indebita materia affectum nequaquam a Deo immiffum dicendum eft; nifi velimus afferere fuam Ecclefiam, quam fuo fanguine redemit, totque miraculis pofitis ob ejus ædificationem, velle deftruere, vel hifce execrabilibus, atque exitiofis mendis imbuere. Tanto magis Deus illi, quod five lege naturali, five fua divina præcipit, aut confilio hortatus eft, aut religio expoftulat, oppofita locutione adverfari, utique efficere nequit; nifi notam mendacii, aut mutabilitatis ei tribuere velimus: quinimo effet perindeac Decalogi præcepta, naturalemque legem deftruere, quæ nihil aliud eft, quam quædam æternæ legis participatio in recto rationis dictamine confiftens, quo bonum, & malum difcernimus, uti Divus Thomas docet (a) quare (b) legitur: *Multi dicunt, quis oftendit nobis bona?* (Pfaltes regalis hoc præbet refponfum) *fignatum eft fuper nos lumen vultus tui, Domine*: quæ verba indicant, lumen rationis nobis effe infitum, quatenus natura noftra rationalis hac pollet effentiali proprietate, effe fibi fuapte lex, uti ait Apoft. ad Rom. (c): *Cum enim Gentes, quæ legem* (ideft fcriptam, feu Mofaicam) *non habent, naturaliter ea, quæ legis funt, faciunt, ejufmodi legem non habentes, ipfi fibi funt lex*. Qua de re noftram rationalem naturam Deus deftruere deberet, fi oppofitum a naturali lege fancitum, in fomniis dictaret.

Neque

(a) *Par.1. qu.9. art.91.*
(b) *In Pfalmo 4. verf.6.*
(c) *Cap.2. verf.14.*

X. Neque objicias, Deum pluries malum quia malum præcepisse in Sacra Scriptura legi. Sic Oseæ (*a*), ubi habetur præceptum Oseæ Prophetæ impositum ad exercendam fornicationem: *Vade, sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum; quia fornicans fornicabitur terra a Domino.* In Exodo (*b*) manifestum furtum a populo Israelitico patrandum præcipitur, in surripiendis vasis argenteis ex Ægyptiis: *Feceruntque filii Israel, sicut præceperat Moyses, & petierunt ab Ægyptiis vasa argentea, & aurea, vestemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, ut commodarent eis: & spoliaverunt Ægyptios, profectique sunt filii Israel.* & Gen. (*c*) adhuc homicidium ab Abrahamo in personam Isaac innocentis consumandum mandatur: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi.* Quare quemadmodum hoc Deus vigilantibus jubere potuit, ita quoque dormientibus per somnia.

Dumtaxat implicandis incautis talis objectio prodere potest, cum penitus nullius momenti esse videatur, quodque ut appareat, tum fornicationis, tum furti, tum homicidii naturam exponere arbitror; quò magis, quomodo Deus prædicta præcepit, patere possit. Fornicatio igitur est illicitus coitus, ut habetur in can. Meretrices (*d*), vel secundùm S. Thomam in 4. sententiarum (*e*), est soluti cum soluta concubitus illicitus, & græce dicitur πορνεῖα ἀκολασια, & a fornice arcu triumphali nominatur, ubi Romæ antiquitus fornicationes exercebantur; quæque licet in 7. Decalogi præcepto explicitè non vetatur, Sc. *non mœchaberis*; tamen implicitè non solum fornicatio, sed quodlibet adhuc internum peccatum Veneris per illud præceptum expungitur; quinimo de jure divino expresse fornicatio vetita cernitur, ad Galatas (*f*). *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria,* & cætera colligendo concludit (*g*), *quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.* Ad Eph. (*h*). *Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus,*

(a) *Cap.1. ver.2.*
(b) *Cap.12. vers.35.*
(c) *Cap.22. ver.2.*
(d) §. *qui ergo, 32. quæst.11.*
(e) *Dist.44. art.4.*
(f) *Cap.5. ver.19.*
(g) *Ver.21.*
(h) *Cap.5. vers.5.*

aut avarus, quod est Idolorum servitus, non habet hæreditatem in Regno Christi. Et ad Corinth. (*a*): *Nolite errare: neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari &c. Regnum Dei possidebunt*. Et insuper (*b*) vociferatur Apostolus: *fugite fornicationem, &c.* unde luculenter notùm est, imo de Fide, omne quippe rei venereæ genus jure divino vetitum esse.

Tantùm olim penes DD. jurgium fuit, si hujusmodi simplex fornicatio esset ab intrinsecis suis mala, vel mala quia a Deo vetita. Perperam nonnulli arbitrati fuere, solum malam esse, quia a Deo vetitam; quare merito ab Innocentio XI. præscripta fuit propositio 48. in ordine sic habens: *Tam clarum videtur fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, sed solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium rationi dissonum videatur*. Cujus autem falsitatem benè demonstrat doctissimus Pater Dominicus Viva in ejus explanatione (*c*) hisce notis: *primo ex Apostolo prima ad Corinth. 6. ut notat Angelicus in illis verbis, qui fornicatur, in corpus suum peccat* (*d*). *Qui fornicatur, dicitur peccare in corpus suum, non solum fornicationis delectatio consumatur in carne; sed etiam quia contra bonum proprii corporis agit: in quantum indebitè resolvit illud, & inquinat.* & ibidem cit. Doctor tam Augustinum commendat; vel aliter secundum Augustinum hic in Glossa, *qui fornicatur, in corpus suum peccat; quia anima ejus totaliter carni in illo actu subjicitur, ita quod non possit aliud ibi cogitare*; unde in Psal. dicitur: *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus*. Et insuper. *Unde patet, quod non est utendum corpore ad fornicationem, quæ impedit futuram incorruptionem secundum illud ad Gal. ult. Qui seminat in carne, de carne & metet corruptionem*, urgente Apostolo (*e*): *an nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, & non estis vestri? empti enim estis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore vestro*. Itaque ex dictis eruitur, fornicationem sui natura, & ab intrinsecis esse malam, & ab intrinsecis quoque vetitam. Hoc posito.

Primo testui evidens præbetur responsum. Deum præcepis-

(a) *Cap. 6. vers. 9. & 10.*
(b) *Vers. 18.*
(c) *Num. 10.*
(d) 2. 2. *q. 154. art. 3. ad 2.*
(e) 1. *Cor. 6. ver. 19.*

cepisse Oseæ uxorem fornicariam, hoc debet intelligi de spirituali fonicatione, nempe idololatria; nam adhuc Ethnici fornicarii appellabantur; quia Idolis thus deferebant,& verum sponsum,scilicet Deum, per idololatriam destituebant, uti ex Sacro Textu liquet. Exod. *(a) Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum : ne cum fornicati fuerint cumDiis suis, &c. (b) Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis, ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deos suos*. Et Ezech. *(c) & cum Idolis suis fornicatæ fuerint*, & alibi passim. Ex quo Oseæ fuisse a Deo mandatum, Uxorem labe idololatriæ fœdatam ducere simul cum ejus filiis Idolis servientibus, luculenter patet. Sive valet responsio cæterorum Theologorum penes Suarez distinguentium inter divina mandata primæ Tabulæ, & alia secundæ Tabulæ. Tria illa primæ Tabulæ, tanquam charitatem Dei, ejusque cultum respicientia, per quamcumque divinam potentiam haudquaquam quavis circumstantia adjuncta, a Deo dispensari potest; secus verò septem illa secundæ tabulæ, uti prius honorem, & pietatem erga Parentes, & posteriora amorem, & justitiam erga proximos respicientia, immixtis quibusdam circumstantiis a Deo non solum dispensari, sed etiam præcipi posse, citati Theologi fatentur. Unde in casu nostro fornicationem in sensu composito cum sua malitia, licet repugnet Deo, præcipere: attamen apposita aliqua circumstantia, nempe supremo suo dominio, tradit jus Oseæ in corpus illius mulieris, quam in uxorem ducendo, copula cum illa amplius fornicaria non fuit; ideoque Scripturæ Sacræ prædicta verba transitivè accipienda forent, quatenus mulier illa prius fornicaria fuit; postea verò ad castitatem matrimonialem servandam transiit. Vel demum dicas cum aliis quibusdam, citati Textus sensum literalem attendendo, dici uxorem fornicariam a proprio suo munere in conficiendis fornicibus, eisque fabricandis consistente: ac proinde ejusdem matris artem docere filios suscipiendos Oseas debebat: quæque tamen literalis explanatio nimis rudis esse videtur. Hinc luculenter redditur intelligentia Textus a Maximo Ecclesiæ Doctore D. Hieronymo in commentariis super præfatum Oseam *(d)* ubi sic inquit: *Mulier ista, quam Propheta sumit in conjugem, non semel, sed frequentius fornicata: ut quanta illa sordidior est, tanto sit Propheta patientior, qui talem uxorem duxerit.*

(a) *Cap.34. ver.15.*
(b) *Et ver.16.*
(c) *Cap.23. vers.37.*
(d) *Lib.1. cap.1.*

ãerit. Et quoad filios fornicationum.(Poteſt intelligi,ait relatus Pater), *qui & fornicariæ priores de fornicatione ſuſceptos recipiat filios ; idcirco fornicationis appellandi ſunt filii, qui ſint de meretrice generati : ex quo intelligimus non Prophetam perdidiſſe pudicitiam fornicariè copulatum , ſed fornicariam aſſumpſiſſe pudicitiam , quam antea non habebat .*

Quantum ad ſecundum Textum , ubi furtum præceptum legitur , ſcias , ſic illud definiri (*a*) . *Eſt contrectatio fraudoloſa lucrifaciendi , gratia , vel etiam uſus ejus , poſſeſſioniſve, invito domino* ; quare contrectare rem alienam dolo , ſeu fraude , interveniente domino rationabiliter reluctante, verum furtum conſtitui, utrumqne jus decernit. Hinc ad obicem poſitum reſponſio liquet , præſertim quiſpiam conſcius eſt quot mala Iſraelitas paſſos fuiſſe , quot ſubſtinuiſſe labores ab Ægyptiis , eiſque diù ſine præmio , & lucro ſervitutem præſtitiſſe , ut patet Exodi (*b*) . *Oderantque filios Iſrael Ægyptii , & affligebant , illudentes eis ; atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti , & lateris , omnique famulatu , quo in terræ operibus premebantur*. Ea de cauſa miſeratione motus Dominus Deus vocavit Moyſen in Jethro, ejuſdem Textus (*c*), cui ait Dominus:*vidi afflictionem populi mei in Ægypto , & clamorem ejus audivi , deſcendi, ut liberem eum de manibus Ægyptiorum* . Quamobrem, ut ex præfatis conſtat , Deus non præcepit Iſraelitis furtum , ſed ſolum ſuorum tot laborum compenſationem , quos per multos ferè annos indebitè illi ſubſtinuerunt : etenim compenſationem ſuis conditionibus factam , uti in caſu Iſraelitarum , omnibns juribus conſonam eſſe,nemo dubitat, & præcipuè juri civili(*d*),ubi:*Sic compenſationes ex omnibus actionibus ipſo jure fieri ſancimus* : idcircò per compenſationem Iſraelitæ non ſurripuerunt , ſed quod per eorum labores lucrati fuere , per Dei juſſum ſuſceperunt : unde meritò Eccleſia Sabbato Sancto canit : O *vere beata nox , quæ ſpoliavit Ægyptios ; ditavit Hebræos* . Vel dicas furtum committi , dum res aliena invito domino contrectatur : atqui Deus tanquam ſupremus omnium Dominus poterat Hebræis rerum Ægyptiarum plenum transferre dominium; idcirco Hebræos per divinum præceptum furtum patraſſe , minimè dicendum eſt .

Ulti-

(a) *In l.*1. §.*furtum* , *ff.de furtis*, & *Juſt. lib.*4. §.1.
(b) *Cap.*1. *verſ.*13. & 14.
(c) *Cap.*3. *verſ.*7.
(d) *L.ult. Cod. de Compenſ.*

Ultimi textus obex facile deletur : ſic profectò homicidium communiter definitur, *eſt injuſta hominis occiſio, privata authoritate facta*. Quamobrem aliquem interficere hominem, divina authoritate obtenta, non eſt privata authoritate mactare, ſed publica: etenim Deus eſt, qui pleno pollet dominio ſupra creaturas cunctas, uti legitur in libro ſapientiæ (a): *Tu enim es, Domine, qui vitæ, & mortis poteſtatem habes*. Quare ſi hac poteſtate a Deo ſibi data Abraham filium ſuum occidebat, utique homicidium minimè perpetrabat: vel dicas, quod continebat præceptum Dei factum Abrahæ, ut filium ſuum in victimam ſacrificaret, ut patet in citato Textu(b): *atque ibi offeres in holocauſtum*. Præcipere autem Sacrificium, eſt eximium, & ſingularem religionis cultum velle, ſupremæ, & increatæ excellentiæ debitum, in proteſtationem ſupremi dominii, quo ſupra totum creatum, Deus neceſſariò gaudet, quodque prorſus homicidium appellandum nullatenus eſt. Et demum dicas, Deum vere, & propriè non præcepiſſe, ſed tentaſſe Abraham, uti ait (c): *Tentavit Deus Abraham*. Obicibus jam rejectis, liberè inferimus ſomnia a Deo immiſſa non eſſe, ſi legi divinæ, vel naturali oppoſita eſſe conſtaret.

Neque inſuper dicas, Deum poſſe eadem alicui in ſomniis præcipere, quæ explanari, & intelligi modo præfato poſſent. Nam falſum aſſeris; tum quia ſomniator noſtræ tempeſtatis neque Oſeas Propheta, neque Abraham eſt; tum quia numquam eædem circumſtantiæ concurrere præſumuntur; tum denique, quia numquam in ſomnis Deum loqui nobis conſtare poteſt, uti præfata, per ſacrum eloquium conſtant.

Itidem dicendum eſt, ſi legibus humanis ſomnia contrariantur; etenim humanæ leges rectæ rationi conſonæ, bonum, ſive ſpirituale animarum, ſive naturale Reipublicæ regimen reſpiciunt; ideoque eas quodammodo ex Deo pendere fatendum eſt, uti a ſacra lectione docemur Proverb. (d): *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*. Et ab Apoſt. ad Rom. (e) *Non eſt poteſtas, niſi a Deo*.

Pari ratione, ſi tribus Theologicis virtutibus ſomnium adverſetur; quoniam hujuſcemodi virtutes neceſſarias ſimpliciter nobis eſſe Theologi communiter fatentur cum Trid. (f): *Fides eſt fundamentum, & ra-*

(a) *Cap.16. ver.13.*
(b) *Gen.cap.22.ver.2.*
(c) *Cit.teſt.Gen.*
(d) *Cap.8.*
(e) *Cap.13.ver.1.*
(f) *Seſſ.6.cap.8.*

& radix salutis. Spes verò divinam misericordiam consequitur, cui maximam injuriam desperatio irrogat. Quemadmodum Charitas, virtutibus cunctis excellentior, immediatè divinam bonitatem respicit; unde ad Corinth. (*a*): *Major autem earum est Charitas*. & in prima Joannis (*b*): *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*.

Pariter afferas de septenariis donis Sancti Spiritus, quæ nobis infunduntur. Isaias (*c*): *Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilii, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritu timoris Domini*. Ut in die Pentecostes a Deo flagitemus, *da tuis fidelibus, in te confidentibus, sacrum septenarium*. Quibus Sancti Spiritus donis si somnia opponantur, ea a Deo immitti dicere absit. Eadem de Spiritus Sancti fructibus doctrina militat, qui ab Apostolo ad Galat. (*d*) exprimuntur his verbis: *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, & castitas, adversus hujusmodi non est lex*. Ecce quomodo Apost. adversus dictos fructus non adesse legem concludit; quique dicuntur fructus, quia ex illis donis pacificè possessis oriuntur.

Demum cætera omitto, uti sunt omnes cujuscumque generis virtutes, cuncta sanctæ fidei dogmata, traditiones Apostolicæ, scita Conciliorum, unanimis SS. Patrum consensus, omniaque tum ad sanam disciplinam, tum ad doctrinæ puritatem pertinentia, necnon quæ profitetur Ecclesia, mutari, neque destrui, neque eis oppositum in somniis a Deo tradi queat; & si accidat, nequaquam somnium a Deo immissum esse, putandum est.

Quò minùs de materia indifferenti somnium Deum conficere præsumitur (materiam indifferentem appello, quæ neque moraliter bona, neque mala est, licet additis quibusdam circumstantiis bona, vel mala fieri possit) nam a majestate divini sermonis inutiliter loqui, vel pro rebus merè temporalibus prorsus alienum esse debet, cum sit supremæ excellentiæ divinæ loquenti indecens; dummodo materia illa, positis circumstantiis bona moraliter non evadat.

XI. Alia subsequitur conjectura omninò attendenda a Dei somnium fecer-

(a) *Cap.13. ver.13.*
(b) *Cap.4.*
(c) *Cap.4. ver.2.*
(d) *Cap.5. ver.22.*

secernendum, quæ est somniantis conditio; quandoquidem ex hac Personæ somniantis qualitate, si somnium Dei sit, non levi conjectura deduci potest. (In dubio autem utrum a Deo, an verò a Dæmone somnia proveniant, non est illis fides habenda juxta illud Eccles. (a) *Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne des illis cor tuum; multos enim errare fecerunt somnia*: vide S. Justinum Martyrem (*b*) Martin. Delrium (*c*) aliosque. Non quia somnians admodum nobilis, scilicet Equitis, Principis, sive Regis dignitate, aut charactere præfulgeat, cum hoc in re nihil intersit; verumtamen singulari sanctitate, ac eximia virtute necessariò polleat, si divino eloquio dignum se esse optat: at si communis, & vulgaris bonitatis moralis cum cæteris fidelibus, fortius si esset peccator scelestus, aut infidelis, haudquaquam Dei eloquio in somniis suis reputandus sit capax; enim profectò infinita Majestas, & increata divini sermonis excellentia sic expostulat, nonnisi grandioribus in sanctitate, virtutibusque eximiis in somniis, seu in vigiliis suam locutionem præbere; uti in utroque testamento, ubi hominibus locutum esse Deum cernitur, sic Dei mos semper invaluit.

Pro comperto igitur est, Deum allocutum fuisse primum hominem Gen. (*d*), Henoch (*e*): *ambulavitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus*. Allocutum fuisse Noe (*f*): *Noe vir justus, atque perfectus cum Deo ambulavit*. Abraham (*g*), Isaac (*h*), Jacob (*i*), Moysen (*k*), Josue (*l*), David (*m*), Salomonem adhuc per somnium (*n*). Allocutum fuisse omnes tum quatuor majores, tum duodecim Prophetas minores; quemadmodum in novo Testamento senem Simeonem (*o*): *Et homo iste justus, atque timoratus*. Demum allocutum fuisse, constat, ipsummet Jesum Christum Filium suum, nostrumque Redentorem (*p*) & sic de singulis, tot aliis hic pro brevitate relictis: itaque luculenter Deum nonnisi excellentissimas personas summa sanctitate, & justitia præditas alloqui solitum fuisse, liquet.

XII. Noli dictis, lector mi, adversari dicendo, adhuc in sacro eloquio,

D Deum

(a) *Cap*.24.
(b) *In App.ad q*.21.
(c) *Lib*.4.*disquisit.cap*.13.
(d) *Gen.cap*.2.
(e) *Genes.cap*.5.*vers*.24.
(f) *Genes.cap*.6.*vers*.9.
(g) *Gen.cap*.12.
(h) *Gen.cap*.26.
(i) *Gen.cap*.35.
(k) *Cap*.3.
(l) *Cap*.20.
(m) 1. *Reg.cap*.30.
(n) 3.*Reg.cap*.3.
(o) *Lucæ cap*.11.*vers*.25.
(p) *Ibid.cap*.3.*vers*.22.

Deum scelestis, & peccatoribus locutum fuisse, legitur; itaque quoque personis vulgaris conditionis, necnon nefariis, & flagitiosis per somnium sua præcepta, suaque monita detegere Deus dignatus est. Constat antecedens: postquam Adam flagitium suum perpetravit, peccator evasit, ideoque Dei inimicus, & tamen Deus eundem alloquitur (a): *Vocavitque Dominus Deus Adam, & dixit ei, ubi es?* Alloquitur fratricidam Cain ejusdem Gen. (b): *Ait Dominus ad Cain, ubi est Abel frater tuus?* Alloquitur pariter in somnis Laban persequentem Jacob fugitivum, quem animo doloso, morte afficere procul dubio statuit, ejusdem Gen. (c): *Viditque Laban in somnis dicentem sibi Deum, cave, ne quidquam asperè loquaris contra Jacob*: igitur verum est antecedens, ex quo jam ostenso, illatio exposita legitimè sequitur.

Falsitas facti obicis bene tibi constat, si eorum memineris, quæ supra relata sunt, ubi siquidem apparet, pluries me dixisse, *generaliter loquendo*; quia in aliquibus præcipuis casibus, proprièque dictis locutionem, somniumque Dei esse, renuendum non est. Et hoc quippe accidit ratione materiæ totaliter pertinentis ad animæ incolumitatem; etenim dos potissima est sermonis judicantis, qui malum a reo confectum detestatur, ut illum se pœniteat, & dolore intrinseco tactus, crimen patratum ingemiscat, præsertim, uti servus pœnæ factus a lege non servata, ut illicò ipse pœnam sententia finali enucleatam subeundo resipiscat, & ad meliorem mentem se convertat. Quamobrem hoc modo cum utroque Adam, & Cain peccatoribus divina clementia operata est, cum utrumque exprobrando, hisce verbis usa est, uti patet in citatis testibus, *quare hoc fecisti? quid fecisti?* idcirco utrique uti servo pœnæ facto sententiam inappellabilem decernit, alteri, *in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es*; & alteri, *nunc maledictus eris super terram: & cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos*, utrumque, ut quisque nosse potest, tales pœnas subeundo, necessariò pœnituisse, eorumque scelera abominatum fuisse. Quapropter non perperam dixi *generaliter loquendo*; quia generaliter Deus, ut assolet, nonnisi sanctissimos, & virtuosissimos viros utplurimum alloquitur, cum consuetum operandi modum casus peculiaris non diruit. Oppositum non fateor, Laban, qui malum Jacob inferre cupiebat,

(a) *Gen. cap. 2. ver. 9.*
(b) *Gen. cap. 4. ver. 9.*
(c) *Gen. cap. 31. ver. 24.*

piebat, jam corde declinasse, uti in eodem textu sacro observatur (a). Sic Laban inquiens, cum jam in monte Galaad Jacob fugitivum comprehenderit: *Valet manus mea reddere tibi malum; sed Deus patris vestri heri dixit mihi: Cave, ne loquaris contra Jacob quidquam durius*. Quodque a Domino factum est, ne Laban nefarium facinus, scilicet homicidium in selectam personam dilectissimi sui Jacob patrasset: quamvis Jacob jure clam a Laban aufugerit, & fugæ causa ab eodem Jacob ostenditur in citato textu (b): *Animadvertit quoque faciem Laban, quod non esset erga se sicut heri, & nudiustertius*. (c) *Sed pater vester* (sic Racheli, & Liæ filiabus Laban loquebatur) *circumvenit me, & mutavit mercedem meam decem vicibus*; & ideo immeritò ipsum persequebatur Laban, & illegitimè in Jacob malum consumere intendebat, quod vetandi Deus in somno Laban præcepit. Qui tamen peculiares casus regulam inferendi similes esse nequeunt: igitur ex dictis liquet, licet Deum scelestis personis interdum fuisse locutum; tamen materia locutionis animæ favorem semper respexit. At non perinde alicui scelesto homini nostræ ætatis, adhuc de eadem materia moraliter bona, Deum loqui alicubi constare, inferri valet.

XIII. Cæteras conjecturas, quibus itidem Dei somnium esse agnoscitur, exponere arripiam. Si nimia pusillanimitate, vel præsumptione somnium contingat, illud Dei existimandum non est; tum quia nuspiam in sacris literis nimis confidenter, & cum pusillanimitate somnia a Deo immissa intenduntur; tum quia hoc a divini sermonis majestate, & excellentia procul omnimo est; tum quia inter non impares, sed pares plurimum nimia confidentia intercalatur; quæ vero paritas infinitum inter, & finitum? nulla prorsus excogitabilis est.

XIV. Verum quoque Dei somnium plurimæ circumstantiæ comitantur, scilicet quos motus animi passus fuerit somnians, quos affectus in eo somnium produxerit, quas reliquerit impressiones; idcirco si pias causaverit affectiones, si sanctos produxerit affectus, si motus ad Domini aditum somnianti immiserit, Dei somnium esse, facile extat: at si ex eo pravos affectus, sive elatos, aliave malitia præditos pullulasse observatur, eosque ab æterna veritate declinantes, ad

D 2 mundi



(a) *Gen. vers.* 29.
(b) *Vers.* 2.
(c) *Et vers.* 7.

mundi illecebras tendentes, ejusque viam foventes gignere, Dei somnium credendum esse, absit. Etenim bonum nostrum morale, incolumitatemque spiritualem nostrarum animarum ad æternam nanciscendam gloriam, loquela divina directè intuetur, ita Suarez (*a*) docet: *Si ex occasione, materia, & affectibus constet, somnium ordinari ad aliquod opus pietatis, & doctrinæ fidei, & honestati morum esse consentaneum, facile conjecturari potest esse a Deo*. Præterea si quandam animi perturbationem, internumque mœrorem, atque sollicitudinem, sive timorem somnium excitat, illud Dei esse, asserere desinite; quoniam dumtaxat internæ pacis, fervoris, atque quietis, sive tranquillitatis unicè Deus author est: *Nam si somnium* (ita ratiocinatur Suarez (*b*)) *inducit ad aliquod malum, clarum signum est non esse a Deo*: quapropter idem Author (*c*) hoc præbet monitum: *Est autem in hoc eventu consilium optimum, judicio, & consilio sapientum uti, qui & doctrina, & pietate polleant, & experientia spiritualium rerum omnium non careant*.

XV. Quum de immisso a Deo somnio hucusque prolatum sit, ad illa a Deipara, cæterisque Sanctis, atque Angelis referenda accedam. Posse autem Deiparam, Sanctos, vel Angelos somnia immittere, & in somnis alloqui, Deo indulgente, minime dubitatur; tum quia nulla positiva repugnantia apparet, qua præfati dicta somnia immittere non possint; tum quia de facto Beatam Virginem perplurima immisisse somnia, & visiones, Historiæ narrant: sic visio a Virgine Maria facta Monacho Cluniacensi tempore Sancti Odonis, teste Joanne Monacho (*d*), cujus occasione Beata Virgo cœpit vocari *Mater Misericordiæ*: sic quoque visio Beatæ Mariæ Virginis in somno facta in nocte nonis Augusti, tum Joanni Patritio Romano, ejusque uxori; tum Liberio Summo Pontifici; quosque in somno admonuit, ut quem locum nive consperſum viderent, in eo Ecclesiam in ejus honorem ædificarent, & ideo dicta fuit *Sancta Maria ad Nives*: sic demum ipsamet Virgo dictis Petro Nolasco, & Raymundo de Pennafort, sicut & Jacobo Aragoniæ Regi apparuit nocte dicens, ut pro redimendis captivis Religionem instituerent, & ideo *Sanctæ Mariæ de Mercede* sortita est titulum.

Sancti pariter somnia quandoque immittunt, quare anno salutis mil-

(a) *Tom.1. de Relig. lib.2. cap.13.*
(b) *Loco cit.*
(c) *Loco cit. num.24.*
(d) *Lib.3. vitæ Odonis cap.9.*

milleſimo ducenteſimo nono Romam petiit Sanctus Franciſcus Aſſiſii, ut ſui ordinis inſtitutio a Summo Pontifice Innocentio III. approbata fuiſſet, quo eam confirmare recuſante, imo rejiciente, collabentem Lateranenſem Baſilicam ſuis humeris ſubſtinere viſus eſt, & ſic de cæteris.

Quemadmodum de Angelis, qui ſæpe in ſomnis locuti fuerunt, penes Teſtum Sacrum luculenter comperitur. Matthæi (a): *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei (ideſt Joſeph) dicens*. Et (b), *& reſponſo accepto in ſomnis*, ne redirent ad Herodem. Et eodem capite (c): *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph dicens*, & alibi paſſim, quæ ſtudio brevitatis relinquam; quoniam ſi vellem cunctas tum Deiparæ, tum Sanctorum, tum Angelorum locutiones in ſomnis hominibus geſtas hic acervare, nimis utique oriretur moleſtia.

Dumtaxat rationem, qua potentiam immittendi ſomnia præfatos habere noſcatur, mihi lubet afferre: etenim Beatis juxta ea, quæ unanimiter Theologi docent, rerum naturalium, earumque diſpoſitionis notionem a Deo concedi, pro comperto eſt: in antecedenti autem capite num. 8. cauſam proximam, & immediatam ſomnii multifariam ſpirituum animalium diſpoſitionem eſſe ſtatuimus; quam diſpoſitionem noſſe, quippe quid naturale eſt; ideoque Beatis ejus agnitio occurrit, & conſequenter Deiparam, Sanctos, atque Angelos ſomnia hominibus injicere poſſe, nemo ambigere videtur. Tanto magis, quia de facto ea impegiſſe, exploratum eſt: actus autem neceſſariò virtutem, ſeu potentiam ſupponere debet: fas eſt igitur aſſerere, ut ſi ea peregerint, vim iterum certè moliendi queant.

XVI. Demum quoque Cacodæmonem ſua ſomnia impellere hominibus dormientibus (dum cum communi, poſſe Cacodæmones homines tentare, ſuppono) valere ſanè liquet; quinimo illa eo pacto a Cacodæmone inducuntur, uti a bonis Angelis, de quibus modò dictum eſt, cum utique ſimilem naturam, atque virtutem habeant; quoniam peccatum a Cacodæmone patratum tantum gratia, & gloria, non vero iis naturæ ſuæ debitis eum ſpoliavit, ejuſque naturam non mutavit, neque potuit, uti univerſalis eſt Theologorum ſenſus;

(a) *Cap.* 1. *verſ.* 20.
(b) *Cap.* 2. *verſ.* 12.



(c) *Verſ.* 13.

sensus; tametsi non eundem finem spectent: etenim boni Angeli gloriam divini, & supremi Numinis, hominumque incolumitatem in somnis, uti in cæteris rebus quærunt: quemadmodum omnes enumeratas circumstantias, conditionesque in Dei somniis expositas, imitentur: secùs vero Cacodæmon tanquam infestissimus humani generis hostis toto conatu operatur, ut illud decipiat, & uti mali author, & mendacii pater homines, & præsertim Christianos, nostrosque somniatores suis somniis ad perdendos allicit.

XVII. Quare homines de sua salute vereri debent, si ipsis Cacodæmones somnia impingunt, quæque nefarii hujusmodi spiritus duplicis generis efformant; alterum est, hominum si non mentes possunt, saltim corpora obscœnis actibus, voluptatibus, atque illecebris contaminare, quodque utplurimum somniorum interventu assequi nituntur, uti refert Justinus Philosophus, & Martyr in libello quæstionum, quæ Christianis a Gentibus proponebantur *(a)*, & de eodem quoque piè conqueritur Sanctus Augustinus *(b)*. Alterum vèro est, quo ignaros, & socordes homines vana, atque inutili superstitione tingere Dæmon intendit, quatenus eos aliquorum somniorum eventu ad irrogandam, atque præstandam iis fidem assidue pellexerit, & eodem artificio, quo Ethnicos multipliciter fuisse delusos, & in impietate obfirmatos, eos ad æternè perdendos continuò laborat.

CAP.

(a) *Quæst.* 21.

(b) *Lib.* 10. *Confessionum cap.* 30.

CAP. III.

Ubi ostenditur, quod homo somniis utens superstitiosus est, & infinitæ Dei sapientiæ injuriam irrogat.

SYNOPSIS.

I. *Duplex vitium religionis virtuti adversatur, superstitio nempe, & irreligiositas.*
II. *Ad verum religionis cultum duo sunt necessaria.*
III. *Ethimon superstitionis adducitur.*
IV. *Quis fuit superstitionis primus inventor?*
V. *Traditur superstitionis communis definitio, & præsertim illa Apostoli, quam nos sequimur.*
VI. *Principales superstitionis species exponuntur.*
VII. *Quid sit divinatio, enucleatur.*
VIII. *Declarantur quoque divinationis species subalternæ.*
IX. *Divinare per somnia esse manifestam superstitionem, ideoque omni jure vetitam.*
X. *Triplex notatur somniorum genus. Primum, & secundum genus observare est licitum. Tertium verò eliminatur ob injuriam, quæ irrogatur Divinæ sapientiæ.*
XI. *Prorsus a divino jure somnia observare pro futurorum notione merè contingentium, vetitum in Sacra Scriptura cernitur.*
XII. *Ferme omnes in nostra tempestate scrutatores somniorum esse videntur.*
XIII. *Licet non præstetur somniis fides expressè, tamen ea sequendo tacitè procul dubio iisdem fides dari videtur, & per consequens peccatur.*
XIV. *Dum velint nonnulli, imo quamplures somnia observare, complures simul superstitiosos actus committunt.*
XV. *Ratio evidens affertur, qua somnia observare frustraneum asseritur.*
XVI. *Ignorantes invincibiliter malitiæ somniorum observationis, ea observando nullum peccatum perpetrant.*

I. Acri-

I. ACriora crimina, quæ adversùs Religionis virtutem humana malitia perpetrare valet, duplicis generis esse videntur: alia, quæ illi opponuntur per excessum, uti est superstitio cum suis speciebus; & alia, quæ eidem adversantur per defectum, uti est cum quoque suis speciebus irreligiositas (de qua hic verbum nullum exaratur). Superstitio itaque circa quid nominis a *Superstatio* dicitur, quasi supra convenientem stat cultus, qui exhibetur, ut cùm quis cultum divinum, vel cui non debet, vel ei indebito modo, quo non debet, exhibeat; uti esset si Christicola tempore Evangelicæ legis Deum juxta veteris legis ritum coleret, sive deitati non veræ, vel non cognitæ venerationem latriæ afferret; sive uti non semel Athenienses, sed passim prædicta exercuerunt, quos meritò Apostolus non dimissè objurgavit (a): *Viri Athenienses per omnia quasi superstitiosiores vos video: præteriens enim, & videns simulacra vestra, inveni & aram, in qua scriptum erat,* Ignoto Deo: *quod ergo ignorantes colitis?*

II. Idcirco ad verum Religionis cultum duo necessaria cernuntur, unum ex parte objecti, ut verus Deus, & non falsus colatur; alterum ex parte modi, quo Deus coli debet, ut nempè signum congruum, & aptum ad divinæ excellentiæ protestationem, ab homine exhibeatur: ideoque si horum alterutrum desit, superstitio, seu falsus cultus necessariò præstatur.

III. Præterea si præfatum superstitionis etymon, scilicet *superstatio*, Lectori non placuerit, ei fortè placidè occurrat illud, quod Marcus Tullius Cicero (b) de natura Deorum tradit, nempè superstitionem trahere nomen ab iis, qui pro superstite sua prole nimis erant in Diis precandis; quodque Lact. (c) prorsus rejicit, & potius ipsam emanare vult ab iis, qui superstitem hominum defunctorum memoriam tanquam Deorum colebant, aut suorum Parentum superstites imagines tanquam Deos penates in propria domo detinentes, venerabantur. Lucretius vero, quem expresse Isidorus (d) refellit, putabat superstitionem ab illo inani, ac superfluo timore superstantium rerum cœlestium, & divinarum, quæ super nos stant, procedere, quem magis

(a) *Act.cap.*17. *ver.*22.
(b) *Lib.*2.
(c) *Lib.*4. *Inst. cap.*28.
(d) *In lib. Etymol.*

gis Divus Auguſt.(*a*)convincit:quoniam illa utpotè quòd ſuperflua,aut ſtatuta obſervatio, aut quòd a ſenſibus uſque ad delirium ſuperſtitibus profecta ſit. Nonnulli autem ajunt cum Nonio Marcello, ſuperſtitioſos eos dici, qui præ Deorum cultura a cæteris curis ſuperſedeant.

IV. De ſuperſtitionis autem inventore multi multa tradunt: quare Varro apud Divum Auguſt. (*b*) docet, inventorem ſuperſtitionis primum in inſtituendo,Deorum ſimulacrum fuiſſe: idcirco Micha Ephraimita matri ſuæ clàm mille argenteos nummos ſurripuerat, quibus perditis, illa Domino devoverit; quapropter Micha urgente conſcientia matri pecuniam reddidit, qua ex pecunia voto conſecrata, ducentos inde nummos fuſori dedit, ex quibus ille ſimulacrum conflavit, quod Micha in ſua ædicula poſuit; ideo unum ſuorum filiorum Sacris initiavit, ut eo ad colendum Sacerdote uteretur. Alii cum Lact. (*c*) docent, primum inſtitutorem ſuperſtitionis fuiſſe Miſſeam Crentium Regem, Diis primum rem obiiſſe divinam, ac ritus novos, Sacrorumque pompas introduxiſſe. Alii cum Herod. (*d*) aſſerunt, primos omnium Ægyptios aras inſtituiſſe, & ſimulacra, & delubra Diis præſcripſiſſe, & Sacrificia curaſſe. Alii Thelchinibus Rhodiis. Alii Hetruſcis hoc tribuunt: vide citatum Cœlium Rod. (*e*)

V. Hinc DD. ſic communiter ſuperſtitionem definiunt, eſſe ſimulatam religionem, ut videantur vera, quæ falſa ſunt: quare nonnulli illam nominarunt ſuperfluam, & vanam religionem. Ego autem ſequor, quod tradit Apoſtolus ad Coloſſenſes (*f*), ubi deſcribendo ſuperſtitionem, ipſam acriter expunxit: *Quæ ſunt*, inquit, *rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione*; ſcilicet, eſt Religio ſupra modum ſervata habens rationem ſapientiæ, non in veritate, ſed in falſitate, quæ eſt abundans, ubi nulla utilitas, ideſt per humanam ſapientiam illam, quæ ab Apoſtolo Jacobo vocatur (*g*) in ſua Epiſtola: *Terrena, animalis, diabolica*.

VI. Quamobrē principales hujuſmodi ſuperſtitionis ſpecies quinque enumerētur,nēpè Idololatria,Magia,Divinatio,Vana obſervatio,& Maleficium:qua de re ſi ſuperſtitio,uti dictum eſt,ex omni jure præſcripta videtur, utpote maximum adverſus Religionem facinus; quoque ejus

E ſpe-

(a) *Lib.4. de civitate Dei cap.8. & Etymol. cap.3.*
(b) *Lib.4. de Civ. Dei cap.9.*
(c) *Lib.1.Inſtit.& Cel.lib.12.cap.1. & lib.2. cap.3.*
(d) *Lib.2. & Strab. lib.17.*
(e) *Lib.9. cap.20. & lib.29.cap.24.*
(f) *Cap.2. verſ.23.*
(g) *Cap.3. verſ.15.*

ſpecies, ſeu partes tali proſcriptione afficiuntur; nam proſcripto toto, adhuc & ejus partes proſcriptæ intelliguntur. Idcirco omiſſis ex hujuſmodi quinque partibus quatuor, tantùm hic unam, nempe Divinationem, uti ad nos pertinentem, pertractandam ſeligimus.

VII. Divinatio igitur circa ſuum Etymon, dicta eſt quaſi divinitatis æmulatio, ſeu obſtentatio, quatenus per eam homo futura contingentia, & alia occulta ab humana cognitione remota, & divinæ ſcientiæ propria, noſſe fruſtra laborat: quare divinationem exercentes divini dicti ſunt, quaſi Deo pleni: divinitate enim ſe eſſe plenos ſimulant, & aſtutia quadam fraudulenter hominibus futura conjectant, Tex. (*a*). Etenim juxta ea, quæ expoſita ſunt in tractatu de Cacodæmonibus (*b*) pro comperto conſtat; futura contingentia, aliaque occulta annuntiare ſolius Dei eſſe. Propterea ſic divinatio ſolet definiri: Eſt præcognitio occultorum, vel futurorum ex pacto cum Dæmone; ideoque hujuſmodi præcognitio, ſeu prænotio fit mediis omnino diſparatis, ſcilicet per media omnino naturalia, & diſparata intendit operari homo aliquid ſupra naturam, ad quod natura inepta ipſa eſt, ſive cum quo eadem nullam habet veram, & naturalem connexionem, uti cauſa cum ſuo effectu: ea de re ſi, non obſtante tali ineptitudine naturæ, adhuc effectus ſupra naturæ vires ſortiantur, utique cooperante Diabolo ſortiuntur per pactum ſive expreſſum, ſive tacitum cum eo initum.

VIII. Hæc autem divinatio ratione materiæ in varias ſpecies dividi ſolet, ſic D. Auguſtinus (*c*), ſcilicet Præſtigium, Necromantiam, Geomantiam, Idromantiam, Pyromantiam, Divinationes Pytonis, & Divinationes per ſomnia, uti habetur in Canone igitur 26. (*d*) Varro autē dixit, *divinationum quatuor eſſe genera, Terram, Aquam, Aerem, & Ignem; hinc Geomātiam, Hydromantiam, Pyromantiam, Aeromantiam, dicta autumnant*: media omnino indebita, & peſſima, quibus malitia humana ad ſciendum ſibi, & cuicumque naturæ creatæ incompetens perperam utitur; ideoque homines talibus utentes Dæmoniorum ſocii evadunt, juxta illud Apoſtoli (*e*) *Nolo vos fieri ſocios Dæmoniorum*. Ea de re meritò hujuſmodi peſtifera ſuperſtitio divinationis prorſus ab omni jure improbatur, & præcipuè Divino (*f*) *Nunquid quia non*

erat

(a) *In can. igitur 26. quæſt. 3.*
(b) *Cap. 5.*
(c) *In lib. de natura Dæmonum.*
(d) *Quæſt. 3.*
(e) *2. ad Corinth. cap. 10.*
(f) *Lib. 4. Regum cap. 1.*

erat Deus in Israel, mittis, ut consulatur Beelsebub Deus Accaron. Et in canone Episcopi 26. (*a*) subversi dicuntur, *qui relicto Creatore suo Diaboli suffragia quærunt*. Quinimo & ab utroque humano jure hujusmodi pestis Christianæ reipublicæ penitus expungitur, & primo in Can. sortes 23. (*b*) legitur, *divinationes, quas Patres damnaverunt, volumus illas omninò damnari, & inter Christianos ultra nolumus nominari, & ne exerceantur, anathematis interdicto prohibemus*. Quare pœna excommunicationis pro eodem scelere repetitur a Pontifice Gregorio relato in can. si quis ejusdem causæ 26. (*c*) hisce notis: *Si quis Clericus, monachus, vel sæcularis, divinationes, vel auguria crediderit observanda, ab Ecclesiæ communione pellantur.*

Leo IV. ad Episcopos Britanniæ scripsit, *qui divinationes expetunt, & morem gentilium subsequuntur, aut in domos suas hujusmodi homines introducunt, sub regula quinquennii jaceant*. Synodus Ancyrana sub initium sæculi 4. (*d*) ait: *Qui vaticinantur, & gentium consuetudines leguntur*, & post pauca concludit, *in quinquennii canonem incidunt*, scilicet per tres annos substrationis, & duos annos orationis sine oblatione. Synodus Provincialis 2. Cameracensis (*e*), & Synodus Diœcesana Cameracensis anni 1604. (*f*) super futuris eventibus, &c. Synodus Provincialis 2. Mechliniensis (*g*) super futuris eventibus. Prima Synodus Mediolan. S. Caroli (*h*).

Secundo Imperatores Christiani expendentes, quam hæc omnia reipublicæ, populis, nec non ipsi Religioni Christianæ essent adversa, & perniciosa, generaliter hæc omnia una cum ipsa gentilitate, & Idololatria abolere, & extirpare funditùs studuerunt (*i*), ubi post pauca habetur: *Sileat omnibus perpetuò divinandi curiositas; etenim supplicio capitis ferietur, gladio ultore prostratus, quicumque jussis nostris obsequium denegaverit*: igitur & divinationes per somnia tanquam veræ divinationis species omnibus præfatis juribus, & pœnis plectuntur.

IX. Hinc uti visum est, divinationem per somnia speciem superstitionis subalternam notari, & consequenter prorsus vetitam adhuc censeri, quemadmodum ipsam superstitionem, a qua dumtaxat

(a) *Quæst.5.*
(b) *Quæst.5.*
(c) *Quæst.5.*
(d) *Can.24.*
(e) *Tit.1. cap.7.*
(f) *Tit.1. cap.8.*
(g) *Tit.51. cap.1.*
(h) *Par.1. cap.10.*
(i) *In l.5. Cod. de Maleficis & Mathematicis.*

xat illa differt, ficut genus a fpecie. Ideoque fi genus ipfum effe graviffimum peccatum, & perinde interdictum; adhuc quævis fpecies fub illo contenta, hujufmodi pravæ conditionis nominari debet; quoniam genus non aliud, nifi ipfafmet fpecies collectivè fumptas importat; idcircò fomnia obfervare, effe manifeftam fuperftitionem patrare, procul dubio ftatuitur.

X. Attamen ad hujus illatæ propofitionis intelligentiam fciendum oportet, triplex effe fomniorum genus. Primum eft, quo pleraque naturaliter proveniunt, five ex præcedenti animi cogitatione, & affectione; five ex corporis conftitutione, uti in cap. I. expofitum eft. Et fiquidem obfervare eo fine fomnia, ut vel præfens corporis valetudo, vel morbi fecuritas, aut ex morbo convalefcentia intelligatur omninò licitum eft; quia effet, fomniorum caufam, & noftræ valetudinis indicia tanquam ejus effectus excogitare; & hoc nullatenus fuperftitionis labem fecum ferre videtur.

Alterum eft fomniorum genus, quo illa a Deo immittuntur; uti funt exempla in antecedenti capite adducta; ibique pariter affertum fuit, hujufmodi fomniis clarè aliquid oftendentibus, fidem dare, & obfequi licitè poffe, dummodo ea a Deo effe, fufficientia indicia adfint.

Tertium igitur genus eft fomniorum, quæ a Diabolo hominis phantafiam commovente, excitantur; atque hujufmodi fomnia exprefsè, vel tacitè, five implicitè defiderare, aut eis fidem habere, actionefque fuas ex illis deligere, ad manifeftam fuperftitionem, & majorem Dei injuriam fpectare, procul dubio videntur. Et licet non conftet, fomnia a Dæmone immiffa, non proinde ea pro futuris nofcendis obfervari poffunt fine fuperftitionis labe, & injuria divinæ fapientiæ; etenim fuperftitio, uti exaratum eft, quoque patratur, fi quod eft proprius, & naturalis Dei character, creaturis tribuatur; quoniam noffe futura, folius Dei infinitè fapientis fcientia eft, uti ex facro eloquio conftat. Ifaiæ (a): *Annunciate, quæ futura funt in futurum, & fciemus, quia Dii eftis vos*, & Num. (b): *Non eft augurium in Jacob, nec divinatio in Ifrael*, & ideo meritò divinare, quædam ufurpatio nominari debet Divus Thomas (c) ait: *Quod divinatio eft indebita ufurpatio cognitionis futurorum eventuum*. Quare Ber-

(a) *Cap.* 41.
(b) *Cap.* 23.
(c) 2.2.*quæft.*95.*art.*1.

Bernardus Vanespen (*a*) primo tradit regulam, qua facilè divinatio superstitiosa agnoscatur, hisce verbis: *Et sanè si attendatur natura sortilegii, sive sortium, prout ea adhibentur ad cognitionem, sive manifestationem futurorum, vel occultorum quæ cognoscenda, aut manifestanda, nec ex natura rei, nec ex supernaturali Dei ordinatione vim ullam habent, facile patebit, sortilegium esse ad superstitiosam divinationem referendum*. Et paulò post allatæ doctrinæ a Divo Thoma (*b*) sequentibus notis adstipulatur: *Dum ergo cognitio futurorum contingentium, quæ a libero hominum arbitrio, aut aliis planè incertis eventibus dependent, aut occultorum manifestatio petitur a rebus ad eam manifestationem nec a natura, nec Dei ordinatione institutis, vel ordinatis, tunc transfertur quidem Dei cultus, vel Dei proprietas, nimirum futurorum, & occultorum scientia, & manifestatio ad creaturam*, sed fusius (*c*) hæc doctrina patebit. Quapropter velle hujusmodi observare somnia ad finem futurorum scientiam obtinendi, perinde est, ac sibi arrogare, quod Dei proprium est; ideoque & esse manifestam superstitionem, & maximam divinæ sapientiæ injuriam afferre, quisque sanæ mentis fateri tenetur. Quinimo & Ethnici sapientes solo rationis adjutorio hujusmodi veritatem agnoverunt. Cic. (*d*) scripsit: *Præsentionem futurorum tantummodo Diis competere; quia non est de futuris contingentibus aliqua determinata veritas, puro videlicet mortalium judicio*; idemque (*e*) confirmat Chrisippus, Diogenes, & Antipatrus Philosophi relati a Georgio in Apologia Vaticinii (*f*): *Si Dii sunt* (inquiunt ipsi) *quorum auspicio fit divinatio, cur ipsi apertè non explicant, quæ futura sunt præcavenda, aut amplexanda? id minimè cum dicantur generi hominum benefici, & amici; nisi existiment nihil interesse hominum scire, aut ignorare, quod futurum sit*. Et sane, uti modo dixi, regula generalis ab omnibus Theologis tradita, posita cernitur ad cognoscendam quamlibet superstitionem, scilicet quoties adhibentur quævis naturalia, sive res, sive verba ad aliquos effectus obtinendos, cum quibus nullam veram, & naturalem connexionem habere inspiciuntur, semper manifesta superstitio præsumi debet: quandoquidem inter causam, & effectum necessariò naturalis connexio intercalari

(a) *Par.3.tit.4.cap.3.n.6.*
(b) *Loco cit.*
(c) *In tract.3.*
(d) *Lib.1. de divinat.*
(e) *In lib.2.*
(f) *Tom.4.cant.3.cap.5.*

lari fas est, qua connexione semota, hoc non obstante, effectus prætensus producitur, utique ope Dæmonis, ejusque interveniente expresso, vel tacito pacto producitur: atqui somnia nostra, certum omnino est, cum ipsis occultis, vel futuris quavis vera, & naturali connexione, necessariò carere; quoniam nemo unquam sanæ mentis somnia eorum causam esse, asserere ausus est: itaque somnia observare animo occulta, vel futura divinandi, manifestam esse superstitionem, profectò infertur; divinatio itaque per somnia hoc importat, scilicet pronunciationem occultorum, vel futurorum per somnia factam, quæ quia semper, teste experimento, falluntur; ideò causam naturalem illorum somnia esse, asserere absit. Non dissimilis antecedenti traditur regula ad faciliùs superstitiosum opus agnoscendum in Concilio primo Provinciali Mechliniensi in titulo de superstitione, hisce verbis: *Omnem illum rerum usum esse superstitiosum, qui sine verbo Dei, & Ecclesiæ doctrina fit, præscriptis aliquibus ritibus, & observantiis, quarum rationabilis causa reddi non potest, & fiducia in eis collocatur certò expectandi aliquem eventum, qui sine illis ritibus ex sanctorum intercessione non speraretur*. Huic regulæ insistunt aliæ passim Synodi Belgicæ: nulla namque Ecclesiæ doctrina, nullumque Dei verbum, somniorum usum probans reperiri valet; quinimò oppositum, ex eo in sequenti numero dicendo, constare videtur; Itaque apertissimi juris est, somniorum usum revera esse superstitiosum. Quare meritò in nostra Neapolitana Synodo postremò celebrata (a), hisce verbis fides objurgando docet: *Si præstant fidem somniis, a superstitione non absunt; si verò temeraria curiositate, labem peccati non effugiunt*, ubi attende: tunc dicitur temeraria curiositate somnia scrutari, quando iis quis non utitur, sed tantum uti temerè curiosus absque ullo licito fine, puta infirmitatis, ea observat; minime verò quando pro scrutandis futuris illa adhibet, cum semper iisdem fidem præstari præsumatur, ita Navarrus in manuali (b), loquitur: *At vero si quis ita sit observator somniorum, ut ordinariè per illas indicationes, & divinationes in agendis gubernetur, non excusatur a superstitione*.

XI. Quamobrem somnia observare pro futurorum notione, meritò esse prorsus a divino jure vetitum; adeout non est pagina sacra, quæ illud

(a) *Part.*1.*cap.*4.*num.*15.

(b) *Cap.*11,*num.*13.

illud non acriter expungit, sic Levit. (a): *Non augurabimini, nec observetis somnia*. Deut. (b): *Nec inveniatur in te, qui observet somnia, atque auguria*. Paralip. (c): *Observabat somnia, sectabatur auguria, ut irritaret Deum*: itaque observare somnia est Deum irritare, quare hoc? quia gravissimum superstitionis peccatum est, ejusque Dei sapientiæ attributum creaturæ imputari; nam Scriptura ly *observare*, pro futuris somnia scrutari intendit, Ecclesiast. (d): *Divinatio erroris, & auguria, & somnia maleficentium vanitas est*; & clariùs loquitur (e): *Nisi ab altissimo fuerit emissa visitatio, ne des in illis cor tuum: multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis*. Isaiæ (f): Uti Propheta multas pœnas inimicis, & speculatoribus Populi Israel minabatur, & præsertim illis, *qui videntes vana dormientes, & scrutantes somnia*. Quinimò Ecclesiastes (g): *Multas curas sequuntur somnia: &* (h), *ubi multa somnia, plurimæ sunt vanitates, & sermones innumeri*.

XII. Et merito nostra tempestate fermè penes omnes hominum cœtus, multa sunt somnia, quæ totas fortè eorum curas contrahunt, relictis necessariis, scilicet orationibus, & laboribus; hujusmodi vanitates tot innumeris sermonibus futulibus perpendendo; adeo ut, & tempus frustra terant, & superstitionis labe sæpe se maculent, dum somnia scrutari conantur, luculenter & ipsi somniare, & crassam eorum insaniam, necessariò ostendunt. Meritò igitur Cornelius a Lapide in comm. ad Levit. (i) *Non augurabimini, nec observabitis somnia*, inquit. Vanitatem vero hujus superstitionis irridebat Diogenes dicens, *Quæ vigilantes agitis, ea non curatis: quæ vero dormientes somniatis, sollicitè perquiritis? ad felicitatem enim, vel infelicitatem hominis non tam refert, quid patiatur in somniis, quam quid agat vigilans*. Itaque Ethnicus solo naturæ lumine suffultus, sic docendo loquitur; Catholicus verò benè Sanctæ Fidei instructus, & de abstinentia a somniorum scrutatione divinitùs consultus, oppositum operatur? & ideo Jeremia (k) ait: *Ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis*. Unde hujusmodi Propheta ad nostros somniantes loqui videtur,

dum

(a) *Cap.19. vers.26.*
(b) *Cap.18. vers.10.*
(c) *Cap.33. vers.6.*
(d) *Cap.34. vers.5.*
(e) *Vers.7.*
(f) *Cap.56. vers.10.*
(g) *Cap.5. vers.2.*
(h) *Vers.6.*
(i) *Cap.19. vers.26.*
(k) *Cap.29. ver.28.*

dum de quibusdam Pseudo prophetis asserit (a). *Qui volunt facere, ut obliviscatur populus meus nominis mei propter somnia eorum, quæ narrat unusquisque ad proximum suum.* Rectè ergo Ecclesiastes (b). *Quasi qui apprehendit umbram, & qui persequitur ventos, sic & qui attendit ad visa mendacia*, & sexcentis aliis Sacræ Paginæ locis, eandem veritatem inculcantibus, uti possem; sed ne Lector tædio afficiatur, ea omittam; dumtaxat mihi sufficit, ut sit de hac veritate suasus, scilicet hominem utentem somniis, eaque observando pro futuris scrutandis, eisque fidem adhibendo, manifestè esse superstitiosum; ideoque injuriam Dei infinitæ sapientiæ irrogare, attenta (ut supra dictum est) & prohibitione divina, & natura superstitionis. Quare ad hanc pessimam luem eliminandam, Ecclesiam Catholicam intuemini, quæ quotidie vociferatur: *Procul recedant somnia, & noctium phantasmata.*

XIII. Quapropter nonnulli fateri solent; nullam fidem somniis præstare, sed dumtaxat quadam temerariæ curiositatis gratia illis utuntur. Hosce sic loquentes monitos esse volo, si verè eis non credant, hoc solum importat, eos superstitiosos non nuncupari; tamen notam labis aufugere nullatenus possunt; cum immediatè divino præcepto adversantur, somnia scrutando; quæ observare in toto locis Sacræ Paginæ adductis prorsus est vetitum; ideoque meritò supracitata Diœcesana Synodus inquit: *Si verè temeraria curiositate, labem peccati non effugiunt*, quæ autem verba juxta modum in fine antecedentis numeri decimi positum, intelligenda sunt.

XIV. Colliges, a fortiori esse manifestam superstitionem, & divinæ sapientiæ injuriam, quando chartulæ, aut aliud ad finem sciendi futura, aut experiendi gratia, a Fidelibus modò sub Crucifixi imaginis pedibus, modò sub aliqua alia sanctorum Icone, atque sæpe Beatæ Virginis, modò sub pulvinari, modò sub mappis Aræ, ubi missæ Sacrificium celebratur, aliisque similibus locis supponuntur; deinde quiescere conantur, ut sopore affecti (& quod pejus interdum quoddam pharmacum sument, quo pollentes somno, facilius somniant) phantasticas apparentias ex causis naturalibus, aut extrinsecis, & supernaturalibus productas cernant; quas autem apparentias somniatas, a somno excussi contemplantur, & ex illis jam excogitatis futura contingentia divinare præsumunt, vel confidunt, vel stultè dirigunt. Quemadmodum somnia

so-

(a) *In cap.23. vers.27.* | (b) *Cap.34. vers.2.*

fomniis comparando, aut ex illis electos actus iterum experiendo, ut merè futurum contingens agnofcatur, fomniis tradunt.

XV. Et tamen (o humana ftultitia!) quæro, quid intendant, dum fomnia obfervant, & interpetrantur? fortè excogitare contingentia incertiffima pro certis? & iterum quæro, ad horum futurorum notionem, vel fomnia eorum natura, & ab intrinfecis fuis, vel tanquam immiffa a cauffa extrinfeca, puta a Deo, vel Dæmone fint ordinata? fi primum, & hæc focordia eft; quia, ut fupra vifum eft in fuperiori capite, fomnia tanquam noftra, effectus noftri benè appellantur, nos utique deberemus effe eorum cauffa; itaque nos utpotè eorum caufa, fi dormiendo hac virtute polleremus futura fcrutandi, a fortiori illa a fomno excuffi frui valeremus, cum humano modo, & imputabili operemur, & non quando actus hominis, & non imputabiles efficimus, quibus adhuc cum brutis fimiles fumus.

Non fecundum, tanquam immiffa fomnia a Dæmone; quia(a) liquet futurorum merè contingentium Dæmones effe omninò infcios. Non demum, uti immiffa a Deo; nam in cap.2. præfent. tract. vifum eft, quibus perfonis, quando, & quomodo, & ad quid Deus fomnia immittit: itaque exomni capite homines fomnia obfervando pro fcrutandis futuris contingentibus fruftra, & ftultè tempus terunt: dum falfitatibus, uti funt fomnia, operam navare curant; quare benè Tibullus cecinit:

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes falfa timere jubent.

igitur fcelera patrantur, dum fuperftitiofi, & injuriofi Deo Domino noftro fiunt. Quare, fratres mei, ab hac lue procul eftote, ne in die mortis veftræ, Dominum Deum, horum criminum ultorem, experiamini.

XVI. Colliges demum, homines fomnia fcrutando, eifque credendo per ignorantiam invincibilem, non folum a fuperftitionis, fed etiam a peccati labe excufari poffe; etenim per ignorantiam antecedentem prorsùs homines impeccabiles in illo genere, de quo invincibiliter ignorant, redduntur, ob vulgatam, quam Theologi in humanis actibus regulam tradunt, *Nil volitum, quin præcognitum*; quoniam pro patrando quovis morali malo, non folùm materia moraliter mala exquiritur, fed præcipuè modus tenendi, fcilicet ejufdem materiæ præcognitio, intellectus, & voluntatis deliberatio, quibus invincibiliter ignorans penitùs caret.

F CAP.

(a) *In tract.3.*

CAP. IV.

Satisfit objectionibus eorum afferentium, sæpe eos esse Divinatores, mediis somniis.

SYNOPSIS.

I. *Uti plurimum humana malitia suorum facinorum excusabiles causas afferre solet.*

II. *Divinatores nostri Christiani in explorandis somniis causam excusabilem adducunt; quia publicè signa quædam, necnon liberculi quidam pro somniis scrutandis venduntur.*

III. *Aliam assignant rationem, quia complures somnia observando, verè auspicati sunt. Pariter adducunt authoritatem complurium peritorum hominum somnia observantium.*

IV. *Usus fermè antiquus somnia observandi affertur.*

V. *Diluitur prima objectio.*

VI. *Secundus adductus obex nimia facilitate dissolvitur.*

VII. *Ad tertium, quod dixerunt, luculenter respondetur.*

VIII. *Ultimum, quod stultè objiciunt, levi modo expungitur.*

I. NEfandum utique est id, quod humana malitia prodere utplurimum solet, pro cunctis patratis sceleribus excusabiles eorum adducere causas, quibus scelus non solum minimè extinguitur, imo majores in pravo hominum corde radices figit, adeout potiùs floridè vireat, quàm ad nihilum declinare videatur: sic si homicidium committatur, ad id declinandum defensio, vel quid simile affertur: Si efficiatur fornicatio, ut a Deo ignoscatur, fragilitas, atque incontinentia præbetur, & sic pro singulis criminibus singulæ quoquæ causæ, atque rationes proferuntur, quibus & vitium comprobatur, & vitiosus a suo crimine excusari præsumitur.

II. Pariformiter divinatores nostri Christiani perperam operari videntur, utpotè pervicaces in explorandis somniis tanquam mediis ineptis ad futura quædam vaticinandum:, atque de superstitione, & injuria divinæ sapientiæ illata minime curant; quinimò complures de

eo-

eorum pervicacia rationes, seu excusabiles causas tribuere audent, quarum prima, quam asserunt, hæc est, & primatum inter cæteras locum tenet: quomodò non sunt somnia observanda, ajunt, si nos liberè, & publicè typis mandatas quasdam chartulas, atque recentiores quosdam liberculos, ubi multa imprimuntur signa, utpotè objecta nostrorum somniorum, quæ ex illis diriguntur, & discernuntur, & sine ulla superiorum proscriptione eos vendi intuemur, sicuti per vicos, & plateas Civitatis vendentes quotidie peragrare videntur: idcirco si hujusmodi publicè vendi a Superioribus permittuntur, & forte cum eorum licentiis imprimuntur, quare ergo somnia observare nobis non liceat? etenim si somniorum observatio adhuc fide præstita esset superstitio, ideoque grave peccatum, uti actio divinæ sapientiæ injuriosa, a superioribus nec typis mandari, nec publicè vendi permitti potuissent, nisi velimus dicere frustra typis prædicta signa somniorum mandata fuisse, & vendi, ubi nulla fuisset eorum usus permissio.

III. Alteram rationem, seu causam scrutandi somnia divinatores nostri afferre non desinunt, hoc loquendi modo: si per somnia observata, sæpe sæpius futura noverimus, adeout complures nostrum quidquid consequi voluerint, jam facili negotio mediis illis fuerit obtentum, & si interdum divinatores non fuerimus, somnii utique defectus non est, sed potius nobis mala eorum interpetratio tribuitur. Et hoc quippè noscitur; quia comprobato eventu, somnia prius habita iterum explorata, luculenter futurum ipsum experiebantur, quod antecedenter ob nostram eorum ignorantiam, eorumque rectam interpretationem non tenuimus; itaque verum non est, quod per somnia non possumus futura merè contingentia scrutari.

IV. Tertio ratiocinantur, sed potius hisce verbis insaniunt, ad ostendendam somniorum observationem pœnitus non esse superstitionem, adhuc eis fide adhibita, nullamque esse culpam: authoritas, inquiunt, fermè tot sapientum, atque morigeratorum hominum, quorum exemplo benè trahimur, & somniis pro præfato futuro obtinendo, funditus incumbunt, a nobis adducitur; quapropter nisi velimus omnes hujusmodi superstitiosos esse asserere, eosque peccare, utique dicere fas est, somnia observare superstitionem non esse; etenim authoritatem multorum Doctorum, quæ est extrinseca, seu authentica probatio ad reddendam operationem nostram licitam sine ullo

peccati theologici reatu maculantis animam coram Deo, utique esse sufficientem, unanimiter recentiores Moralistæ docent; ac proindè illi non solum nos verbis docent, sed etiam exemplis, quibus nos instructi, quoque somnia observare non deficimus.

V. Demum ineptè inquiunt, quod usus ipse ista inoluerit penes nos, ex quadam traditione a nostris majoribus hucusque profecta, ut semper facta sit somniorum observatio. Igitur a primo ad ultimum, ex omnibus dictis potius inferri videtur, somnia observare licitum esse, & omnibns permissum sine ulla superstitionis labe.

VI. Ad diluendas igitur pueriles hujusmodi, atque ineptas objectiones gradum faciam, & eadem methodo servata, sic primæ objectioni hoc responsum offero. Miror summopere, quomodo chartulas quasdam, aliosque liberculos sine superiorum permissu, imo ipsis jnsciis typis mandatos, esse tanti roboris divinatoribus nostris, eorum mentes movendo ad ineptias ibi impressas sectandum, utique miror! dicitis, publicè vendi prædicta, sed sine superiorum licentiis, quæ tam in illis chartulis, quam in illis liberculis impressæ ibi non appareant; itaque nullatenus a superioribus typis mandari, vel vendi expresse permittuntur; quare non nisi clanculum, & ipsis insciis mandentur typis, vel vendantur. Et sanè, quot sunt Historiolæ, aliique liberculi rebus ineptis, somniatis, & interdum non solum falsis, sed etiam illicitis, & inhonestis pleni, & typis clam dantur, & superioribus insciis publicè venduntur, uti quotidiana experientia testatur; nam prædicti superiores, utpotè homines, & non Deus, cuncta mala a subditis suis patrata, quavis vigilantia adhibita, scire nequeunt; & perindè dictis Historiolis, aliisque chartulis rerum falsarum, illicitarumque plenis fidem præstare teneamur? & perindè possimus eas operibus imitari? Absit, hoc dici.

Tanto magis, quod sola sancta divina Fides secum fert non pollere rationibus, aliisque probationibus, ut ei credatur, sed cuicumque revelato ejus divino articulo sine ullo nostri intellectus discursu (oculis clausis, ut assolet dici) credere tenemur, juxta monitum Apost. (a): *Et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium fidei*. Cætera vero, quæ proponuntur ab hominibus, particularibus rationibus sive intrinsecis, sive extrinsecis indigent, ut amplecti a nobis tanquam suasis, valeant. Qua de re, quæso vos o divi-

(a) *Ad Corinth. 2. cap. 10. ver. 55.*

divinatores percuntor, chartulas, atque libellos prædictos qua authoritate Sacræ Scripturæ, qua generali, aut particulari Synodo, qua traditione Apostolica, aut Ecclesiastica, qua authoritate SS. Patrum, atque catholicorum Doctorum, demum quibus rationibus niti, atque fulciri? nullum utique ex dictis videtis; itaque prorsus temerarias sine ullo fundamento assertas esse dicendum est, & quomodo rebus ineptè dictis facile, & statim creditis? certè digni estis illo Ecclesiastici (a): *Qui credit citò, levis est corde*, & mihi non creditis, qui in antecedenti capite tot authoritates, & rationes adduxi, quibus ostensum est, somnia observare, eisque credere, manifestam esse superstitionem, & peccatum, atque divinæ, & infinitæ sapientiæ injuriam irrogare, cujus proprium est prædicta futura nosse? & mihi non creditis, qui multa sacri eloquii testimonia in eodem capite exaravi, quibus dictam somniorum observationem expressè a divino jure vetitam esse, demonstratum constat? & demum si mihi, & dictis non creditis, credite saltem omnibus moralis Theologiæ Doctoribus, quorum pro removendo tædio, quosdam tum primi, tum inferioris subsellii referam. Suarez (b). Azorius (c). Reginal. (d). Sanchez (e). Rodriquez (f). Filliuc. (g). Bonacina (h). Laym. (i). Gregorius Gobat (k). Tolet. (l), & cæteri omnes uno ore Doctores sine ullo discrimine inter eos, hanc nostram doctrinam docent, scilicet omnibus exclamantibus, somnia observare omninò divinandi occulta, atque futura, & esse manifestam superstitionem, & esse sui natura veram culpam.

VII. Secundæ autem objectioni hoc modo respondeo, falsum omnino esse, quod dicunt, ex recta observatione somniorum complures veritatem auspicatos esse; nam quavis data somniorum scrutatione, atque interpretatione futuri eventus obtinendi, semper illis somnia observantibus talia futura prorsus occulta sunt; sed Deo luculenter tantum occurrunt; quoniam somnia futurorum prædictorum causa nullatenus esse possunt, cum inter illa, & ista naturalis connexio adesse minimè perpendatur. Quod

(a) *Cap.19.vers.4.*
(b) *Tom.1.de Relig.lib.2.de superstit.cap.9.&* 10.
(c) *Lib.9.cap.12.quæst.3.*
(d) *Lib.17.num.169.*
(e) *Lib.2.cap.38.num.14.*
(f) *In summa cap.53.num.5.*
(g) *Tract.24.cap.3.quæst.10.nu.74.*
(h) *Tom.2.disp.3.quæst.5.punct.3.num.19.*
(i) *Lib.4.tract.10.cap.3.num.6.*
(k) *Tom.3.in fine part.4.de superstit.sect.1.num.914.*
(l) *In summa lib.4.cap.15. num.4.*

Quod autem observatis ex somniis aliqui veritatem auspicati quandoque visuntur, hoc utique non arti, scilicet non somniis ipsis, nec eorum adhuc rectissimæ observationi, sed merè accidentali actui est tribuendum; etenim cum omnes semper somnia observant, sequitur, quod inter tantam ingentem divinatorum copiam quidam somnia observando, futura præfata divinare accidentaliter poterunt: quemadmodum si nemo somniis uteretur, neque alio medio, sed unusquisque pro futuris illa acceptaret, quæ sibi placent, utique inter tot divinatores darentur illi, quibus favor interdum deberetur; igitur victoria somniis, aut eorum observationi tribuenda sit? absit; sed dumtaxat accidens est.

Neque ulteriùs garriant, comprobatum eventum, somnia antecedenter habita luculenter indicare videntur, & ob erroneam eorum interpretationem non tenuere. Sanè hujusmodi nugæ ad risum summopere me provocant; itaque palam per somnia, quod prius erat futurum post factum præsens, atque præteritum (quia jam factus casus censetur, noscitur? O magnam virtutem, qua somnia pollent! perquæ tum agnoscitur futurum, cum illud est factum præsens, aut præteritum, quippe admirabilis eorum virtus! At melius esset, si ita exclamarem: O hominum dementia, atque ignavia hisce mediis utentium!

Ad respondendum igitur tertio obici, intimo mei cordis dolore accedam, non quatenus ille gravi difficultate afficitur, sed quia pro re hac sapientum, atque morigeratorum hominum authoritas adducitur, quorum authoritate, & exemplo malum hoc ita vexillum extollit, ut illud omnes reliqui de populo inconsultò sequantur. Sed audi Divum Hieronym. in Apolog. adversus Rufin. (a): *Culpam numerus peccantium non minuit*. (b) *Peccantium multitudo non parit errori patrocinium*. Idem inquit Divus Ambrosius (c): *Multitudo sociorum impunitatem non facit criminum*.

Perveniam igitur ad responsum, dicendo, huic authoritati prædictorum erga somniorum observationem nulla prorsus esse fidem præstandam, tanquam nullius penitus momenti: nam si S. Pater Augustinus (d), ait: *Solis enim Scripturarum libris, qui canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, ut nullum authorem*

(a) *Lib.2.*
(b) *Et in Epist.62.*
(c) *Tract.de Virg.lapsu cap.9.*
(d) *In Epist.19. ad Hieronymum.*

thorem eorum in scribendo errasse aliquid , firmissimè credam. Alios ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant: non ideo verum putem, quod ipsi ita senserunt, vel scripserunt. Quatenus solis libris canonicis, aliisque ab Ecclesia definitis, & statutis, atque juribus omnibus fides, & obsequium certè præstandum est; cæteris verò libris adhuc sanctorum, nisi ratio suadeat, assensum intellectus præstare non tenemur: etenim omnes Doctores unanimitèr docent, tanti ponderis, & efficaciæ esse Doctoris authoritatem, quantam esse rationem, cui adhærere, & inniti videtur: & quomodo vos o divinatores ab hac aliorum somniantium authoritate movemini? quæ est ista authoritas? quibus rationibus fundatur? nulli penitus. Insuper hujusmodi in eodem malo authoritatem non præbent, sed potius scandalum fovent. Adde, horum non est authoritas doctrinalis, quatenus doceret, somnia observare licitum esse; quæ opinio typis mandari nequit, & si imprimeretur, statim proscripta esset; itaque quomodo moveamini, nescio? a vestra malitia, atque cupiditate, & scandalo ducti, jam scio? Idcirco adhuc hujusmodi si somniis, animo futura divinandi, utantur, eisque credendo, quis unquam eos esse superstitiosos negabit? nec non peccare, injuriamque afferre divinæ sapientiæ, cujus proprium, & dumtaxat est futura nosse, & homo tam temerariè scientiam illam sibi arrogare audeat?

Quantum demùm spectat ad ultimum, quod stultè, & imperitè objiciunt, scilicet semper fuisse penes divinatores observandi somnia pro scrutandis futuris usum: Usus namque non est, sed potius corruptela, atque pravus abusus est nominandus, quique Religioni adversatur, nec non divino præcepto objicitur; itaque veluti animæ lues est aufugiendus. Neque hujusmodi longum temporis intervallum, in quo actus sæpe exercentur, actionem intrinsecè malam, utpotè religioni, & divino præcepto oppositum cohonestari unquam potest. Quandoquidem si hoc neque consuetudo, neque quævis præscriptio prodere potest, quanto fortius simplex abusus. Quinimo consuetudines, quæ peccandi occasionem, vel periculum præbent, irrationabiles, & corruptelæ nominari debent, ut colligitur ex cap. primo, & cap. ex parte de Consuet. Etenim homines cum inferiores sint, legem Dei superioris tollere non possunt. Et insuper si malum patratum a vestris patribus fuerit, adhuc sequi vos debeatis? Attendite vocibus nostri Redemptoris acriter adversùs

vos

vos loquentis Matthæi (a): *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* ibique flagella minatur.

Demum fortè data est vobis a Deo virtus observandi somnia, atque ea interpretandi? Sed hanc dumtaxat in sacro eloquio Joseph filio Jacob, aliisque Dei viris concessam fuisse cernitur, uti expressum est supra in cap. 2. Quare Divus Bernardus hom. 2. super *missus* propè finem, loquendo de Joseph allato, ad Sancti nostri Joseph comparationem Sanctissimæ Mariæ Virginis Viri, sic inquit: *Illi* (scilicet Joseph filio Jacob) *data est intelligentia in mysteriis somniorum, isti datum est conscium fieri cœlestium Sacramentorum*: igitur si hujusmodi virtus, futura præsertim merè contingentia noscendi, solius divinæ sapientiæ sit, frustraneum, & sic indebitum, & exitiosum est, medium naturale, seu somnia pro eorum notione obtinenda adhibere; & consequenter somnia denique ne amplius scrutemini deprecor.

Tandem objiciunt quamplurimos fuisse Authores, scilicet Antiphonem, Philocorum, Artemonem, Serapionem, Ascalonitam, aliosque de somniorum interpretatione peragentes, itaque ex somniis benè aliquid futurum conjicere possumus: nisi asserere velimus, præfatos celebriores, atque antiquiores authores, de iisdem peragendis adhuc somniasse.

Sed paucis verbis allata difficultas diluitur; & dico prædictos Authores temporibus illis, quando Diabolus nimia familiaritate genus humanum illudebat, floruisse; ut potius ejus illusione, quàm vera doctrina & sapientia operati fuerint; idcirco authoritatem aliquam adversus nostram allatam doctrinam, tanta evidentia suffultam haudquaquam officere valeant.

CAP.

(a) *Cap.* 15. *vers.* 3.

CAP. V. Et ult.

Ostenditur, non esse decentem orationem, quæ Deo, vel Sanctis fit, pro aliqua futurorum ex somniis notione.

SYNOPSIS.

I. *Præceptum divinum orandi in genere nobis præbetur.*
II. *Hoc tamen divinum præceptum orandi, ut cum nostro utili exequamur, multæ conditiones adhiberi debent.*
III. *Orationis natura, ejusque divisio affertur.*
IV. *Altera orationis divisio adducitur.*
V. *Altera pariter orationis divisio ab Apostolo lata exponitur.*
VI. *Inter meritum, & impetrationem discrimen assignatur.*
VII. *Ut oratio nobis prosit, quædam conditiones servari debent; & præcipuè illa, quæ a Divo Thoma assignatur.*
VIII. *Et inter cæteras requiritur Spes, & Fiducia, Charitas, sive Justitia.*
IX. *Aliæ conditiones servandæ in oratione, exponuntur.*
X. *Optima oratio est petere, ut Deus iis mediis nos ducat, quæ peccati non habent scandalum.*
XI. *Quod in oratione bonum animæ petere debemus, docemur hoc adhuc ab Ethnicis.*
XII. *Dum divinatores eventum ex somniis petunt a Deo, non petunt animæ bonum.*
XIII. *Si peccatum est a Deo rem indifferentem petere, idem pariter si petamus lucrum ex somnii scrutatione.*
XIV. *Orare Deum pro habenda notione futurorum ex somniis, perinde est, ac movere Deum ad operandum per potentiam absolutam; dum per ordinariam Deus præfatas preces exaudire non potest.*
XV. *Licèt non possit Deus per potentiam ordinariam, per potentiam verò absolutam omnia potest.*

I. CErtum omninò est, quod inter cæteros nostræ Christianæ Religionis actus adscribitur ille, qui Oratio nominatur, ratione cujus divina Majestas, a qua cuncta bona procedunt, expostulat, ut petendo, infirmitatem nostram, atque inhabilitatem agnoscamus; ideoque nobis præceptum orandi licet in genere tribuatur, uti legitur (a) *oportet orare, & nunquam deficere*; & (b) *vigilate, omni tempore orantes*. Ecclesiast. (c) *non impediaris orare semper*. & (d) *Sine intermissione orate*. & (e) *petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis*. & (f) *omnis enim, qui petit, accipit; & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur*. Ex quibus adductis Sacræ Scripturæ testimoniis luculenter præceptum nobis esse impositum orandi utique liquet.

II. Et quamvis hujusmodi relatæ Scripturæ absolutè orantibus omnes eas res, quas postulant, promittere videantur; tamen promissiones istæ conditionem includunt, quam Apostolus Jacobus expressit (g) cum ait: *Petitis, & non accipitis, eo quod malè petatis*. Quid est hoc male petere, nisi conditiones multas necessarias in oratione non servare; & ideò Apostolus causam, quare non a Deo accipimus, quod petimus, affert: *eo quod malè petatis*: igitur multæ exquiruntur conditiones, ut illis, quæ a Domino Deo flagitantur, digni fiamus.

III. Ad cujus igitur intelligentiam obiter orationis naturam, divisiones, ejusque conditiones servandas enucleare fas est. Itaque oratio in genere a Joanne Damasceno definitur (h) *Est ascensio mentis in Deum, aut rerum decentium a Deo petitio*; nota ly *rerum decentium*, quatenus quæ sunt digna Deo percontari debemus: quæ autem sint hujusmodi Deo digna, mox ostendam.

Quantum verò spectat ad orationis divisionem, sciendum primo est, eam dividi in publicam, & privatam; illam, quæ nomine totius populi, seu totius universalis Ecclesiæ a Sacerdotibus tanquam publicis ministris in templis ritè celebratur; istam verò esse, quæ a singulis privatis fidelibus eorum nomine conficitur, & Deo offertur, quam Apost. 1. ad Timoth. (i) hortatur: *Volo*, inquit, *ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus*.

IV. In-

(a) *Lucæ cap.*18.
(b) *Ibid. cap.*21.
(c) *Cap.*18.
(d) 1.*ad Thess. cap. ult.*
(e) *Matth. cap.*7. *vers.*7.
(f) *Et vers.*8.
(g) *In cap.*4.
(h) *Lib.*3. *de fide cap.*24.
(i) *Cap.*2.

IV. Insuper alteri divisioni oratio subest, scilicet alteram esse tantum mentalem, & hæc est *ascensus mentis ad Deum*; alteram esse mentalem simul, & vocalem, & hæc est, quando prædicto mentis ad Deum ascensui vox corporalis additur: & hæ sunt orationes adhuc potissimum *utiles*; quare solum vocalem reliqui, quam nonnulli addunt; ex eo quia sola, & mera vocalis oratio, quavis semota mentis intelligentia, atque animadversione, non solum minimè prodest ad placandum, quandoque sic oranti potius obesse videtur juxta illud Isaiæ (*a*): *Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*; ideoque nec etiam orationis nomen mereri observatur. Et licet perplures Sacræ Scripturæ textus orationes vocales, seu linguæ commendant, puta (*b*): *Lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea.* Oseæ (*c*): *Omnem aufer iniquitatem, & reddemus vitulos labiorum nostrorum*, & similia loca; tamen semper corde, seu mentis captu factæ intelliguntur.

V. Pariter Apostolus 1. ad Timoth. (*d*) alteram orationis divisionem tradit: *Obsecro*, inquit, *igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus*. Quam divisionem Sancti Patres sequuntur, nempe obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones inter se diversificari, ait divus Augustinus (*e*), quatenus tunc dicitur quis obsecrari Deum, quando malo aliquo premitur, a quo ut eripiatur, opem divinam, qua indiget, implorat. Tunc dicitur orare, quando boni aliquid a Deo petit. Dicitur quis postulare, quando non per se, sed pro aliquo ad Deum interpellat. Demum dicitur gratias agere pro omnibus istis. Quamvis hujusmodi orationis partitionem ex materia, sive modo orandi oriri, dicendum sit. His suppositis,

VI. Priusquam accedamus ad conditiones necessarias ad benè, & cum fructu orandum exponendas, præmittendum est, multum interesse inter meritum, & impetrationem: etenim meritum charitatem, & charitatem viæ expostulat, ut Theologi locuntur; & ideo neque peccatores, neque Beati mereri possunt, sed solum justi, qui peregrinantur in terris. Impetratio autem hujusmodi charitate non indiget,

 & sic

(a) *Cap.26.*
(b) *Psalm.25.*
(c) *Cap.ult.*
(d) *Cap.ult.*
(e) *In Epist.59.ad Paulinum.*

& ſic non ſolum viatores, ſed etiam comprehenſores, nec ſolum juſti, ſed quoque peccatores quandoque impetrant.

VII. Quare ut oratio meritoria ſit, expoſcit, ut ab homine viatore, juſto, & ex charitate fiat: ut verò ſit infallibiliter impetratoria, multas, ſicut dixi, conditiones requirit; idcirco oratio interdum meritoria, & non impetratoria obſervatur: puta ſi homo juſtus ex charitate petit id, quod ſibi fortè non expedit, uti Paulus ter Dominum rogavit. Interdum eſt impetratoria, & non meritoria: puta Beati pro nobis impetrando, aut peccatores pro ſeipſis orando, ut Publicanus dixit: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Interdum eſt meritoria, & impetratoria ſimul: puta ſi viatores juſti cum omnibus conditionibus, & requiſitis orant.

Hujuſmodi autem requiſita, ſeu conditiones neceſſarias ad benè cum fructu orandum, Sanctus Thomas *(a)* quinque enumerat, Fidem nempè, Spem, Charitatem, Humilitatem, & Devotionem. Requiritur primo fides, qua certò credamus, Deum eſſe potentiſſimum, ſapientiſſimum, fideliſſimum, & proinde poſſe ſcire, & etiam facere, & velle id, quod petimus, niſi ex parte noſtra defectus habeatur, uti Apoſt. docet ad Rom. I. *quomodo invocabunt, in quem non crediderunt.* Et Jacob. Apoſtolus *(b)* *poſtulet autem in fide, nihil hæſitans*: & Matthæi *(c)* ait Dominus, *creditis, quia poſſum hoc facere vobis.*

VIII. Requiritur ſpes, & fiducia impetrandi, quæ eſt actus voluntatis firmiter benignitati divinæ adhærendi, & certò confidendi, Deum facturum eſſe, quod petimus; & ideo Chriſtus Dominus *(d)* docuit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Requiritur charitas, ſive juſtitia, ſcilicet fidelis, ut in gratia, ſeu Dei amicitia maneat, & ſic certò impetrando obtinet *(e)*: *Oculi domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum.* Neceſſariò humilitas expoſcitur, qua qui orat non in ſua juſtitia, ſed in Dei benignitate confidit, ut docet Bernardus *(f)*: *Sit*, inquit, *oratio in omni humilitate, nè præſumens, ut dignum eſt miſeratione divina.*

IX. Cæteræ quoque conditiones exquiruntur, ut nobis oratio proſit: primo per noſmetipſos flagitare tenemur; nam ſic propriè Deo, uti convenit, humiliamur, & ſubmittimur; & ſic explicat Divus Au-

(a) *In 4. ſentent. diſp. 15. quæſt. 4. art. ultim.*
(b) *Cap. 1.*
(c) *Cap. 9.*
(d) *Cit. cap. 9.*
(e) *Pſalm. 33.*
(f) *Serm. 5. de Quadrageſima.*

Augustinus illud Joannis (*a*): *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*; *Exaudiantur*, inquit, *omnes sancti pro seipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis, vel inimicis, vel quibuslibet aliis: quia non utcumque dictum est, dabit, sed dabitur vobis*. Nihilominus in gratiam servorum Dei, interdum aliis quoque ab eodem Deo datur, & tribuitur, uti Act. (*b*) Angelus Domini sic Beato Paulo locutus fuit: *Donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum*. Secundò perseveranter orare debemus; quia perseveranter petendo, nisi simus idonei, tales fiemus, uti loquitur Apostolus ad Tessalon. (*c*) *sine intermissione orate*. Tertiò, cunctas preces nostras domino Deo in nomine Domini nostri JESU CHRISTI filii ejus, nostrique Redemptoris porrigere debemus, cujus merita infinita infallibiliter Deum ad nobis elargiendum movent; & hoc pacto idem noster Redemptor docuit Joannis (*d*): *Si quid petieritis patrem nomine meo*, idest in nomine JESU Christi; quare Catholica Romana Ecclesia cunctas preces, quas Deo fundit, semper hoc utitur more, eas complendi, *per ChristumDominum nostrum: per Dominum nostrum* JESUM *Christum*. Ast omnes conditiones prædictæ ex parte modi orandi, necessariæ videntur.

Sed altera principalis, & necessaria conditio ad benè cum effectu orandum ex parte materiæ, quæ postulatur, exquiritur; scilicet ut petatur materia, seu res, sive immediatè, sive saltem mediatè, & per sequelam ad animæ salutem pertinens, uti interpretatus est Augustinus illud Joannis (*e*) adversùs utilitatem salutis, non petimus in nomine Salvatoris, qui ibi ait, *in nomine meo, ideft Salvatoris*: igitur petenda ea bona, quæ sunt ad Dei gloriam, nostramque salutem conducibilia; & ideo idem Augustinus in eodem tract. sequitur hisce verbis: *quod autem videt peti contra salutem, non faciendo potius se exhibet Salvatorem: novit enim medicus quid pro sua, quid contra suam salutem poscat ægrotus; & ideo contraria poscentis non facit voluntatem, ut faciat sanitatem*: & iterum idem Augustinus (*f*) *illud si quid petieritis Patrem*, dumtaxat pro eo intelligit, quod ad salutem, & vitam æternam pertinet, in cujus comparatione reliqua nihil sunt. Hinc est, multos esse errores, qui in oratione committi possunt.

Pri-

(a) *Cap.16.*
(b) *Cap.27.vers.24.*
(c) *Loc.supr.citat.*
(d) *Cap.16.*
(e) *Tract.73.*
(f) *Tract.102.*

Primò si bonum temporale animæ nociturum petatur; secundò si re aliqua carere optemus, quæ nobis ad humilitatem, aut ad aliarum virtutum exercitium prosunt, uti pauperes, qui orant, ut divites fiant, dicente Apostolo Paulo, quod *qui divites fieri volunt, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, & nociva, quæ mergunt homines ad interitum, & perditionem*. Tertiò si quid ex zelo indiscreto petamus, ut illi optabant ignem de Cœlo mitti in Samaritanos, Christum Dominum respuentes. Quartò si quid ambitione petamus, ut filii Zebedei, qui in Christi Domini Regno primas expostularunt. Quintò si quod petatur, utilius est differri, ut per hanc dilationem studium orationis, & meritum perseverantiæ, ac virtutis in nobis crescat. Sextò, & maximè si petamus statum, vitam, modumque certum: cum Deus sciat, alium statum nobis, nostræque complexioni magis competere, ut in eo salvemur, vel plus gloriæ adipiscamur.

Hinc optima oratio est petere, ut Deus iis mediis, & viis nos ducat, & regat, quæ peccati non habent scandalum, & quibus ad finem nostrum, seu vitam æternam nos pervenire prævidet: quapropter omnibus istis sublatis erroribus, & prædictis conditionibus appositis, infallibiliter a Deo obtinemus quidquid petere intendimus: idcircò nisi obtineamus, sciendum est, aliquam utique ex dictis conditionibus deficere, & forsitan illam, scilicet non prodesse animæ saluti; & ideo hac in re nos certiores faciat, & doceat Joannes Chrysostomus (a): *Semper*, inquit, *agendas esse gratias Deo, non minus cum negat, quam cum tribuit, quod negat*.

O Christianorum confusio! adhuc Ethnici hanc veritatem, seu orandi modum quodammodo, & in eorum sensu nos docent, quatenus a Diis non nisi bonum animi, non verò corporis petendum est: sic Juvenalis (*b*) cecinit, expendens varia, & stulta hominum vota:

Evertere domos totas optantibus ipsis
Dii faciles: nocitura toga, nocitura petuntur
Militia: torrens dicendi copia multis,
Et sua mortifera est facundia .....
Nil ergo optabunt homines? Si consilium vis,
Permittes ipsis expendere Numinibus, quid

Con-

(a) *Homil.* 30. *Genesos.*

(b) *Satyra* 10. *vers.* 7.

Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris:
Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt Dii.
Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.

Socratis dictum ab omnibus Ethnicis celebrabatur, nempè *a Diis immortalibus nihil petendum ultra, quam ut bona animi tribuerent.* Quare Persius (*a*), idem docuit, scilicet quid a Diis sit expetendum, hisce carminibus:

Mens bona, fama, fides, hæc clare, & ut audiat hospes.
Compositum jus, fasque animo, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.

Valerius autem Maximus (*b*) elegantem etiam, & christianam hoc jure censuram habet: *Nos autem*, inquit, *plerumque id votis expetere, quod non impetrasse melius foret: etenim, densissimis tenebris involuta mortalium mens, in quam latè patentes errores cæcas precationes tuas spargis! Divitias appetis, quæ multis exitio fuerunt: honores concupiscis, qui complures pessumdederunt: regna tecum ipsa volvis, quorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur: splendidis conjugiis injicis manus, at hæc ut aliquando illustrant, ita nonnunquam funditus domos everterunt. Desine igitur stulta, futuris malorum tuorum caussis, quasi felicissimis rebus inhiare, teque totam cœlestium arbitrio permitte: quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissima possunt.* Hactenus Ethnici.

Sis ne, o Lector Christiane saltem ab hujusmodi Ethnicis suasus; eo quia isti dumtaxat naturæ lumine locuti sunt, & tu verò, qui & eodem naturali lumine præditus, simul atque lumine Sanctæ Fidei insignitus, quomodo loqueris? a fortiori existimo hoc consequens ex citatis Scripturis, Sanctis Patribus, & Theologis, & adhuc ab Ethnicis eruas: nempè ea sunt a Domino Deo, sive a Sanctis petenda, quæ immediatè, sive mediatè, & per sequelam ad animæ nostræ salutem æternam ordinantur. His positis.

XII. Huc accede, o Divinator Christiane, & loquere mecum, quando tu a Deo ex somniis tuis scire futura petis, peto, quæerisne rem ad animæ tuæ salutem pertinentem? aut potius merè, & propriè corporis? utique tu petis rem materialem, cum voti tui compotem te esse petas: itaque non sui natura, quod petis ad animæ salutem pertinet: quandoquidem pecuniam, quam divinare ex somniis cupis, nullatenus

(a) *Satyra* 2. (b) *Lib.7.cap.2.*

nus spiritualis est nuncupanda: minimè quoque per accidens ad illam attinere videtur; etenim hujusmodi pecuniam circa animæ salutem prorsus indifferentem esse arbitror, cui potius faciliter obesse nemo asserere veretur, cum utplurimum id quotidiana experientia testatur. Si igitur quid omninò petis ad animæ tuæ salutem impertinens, evidenter sequitur, orationem, quæ fit ad Deum pro hujusmodi merè contingentibus futuris ex somniis sciendis, utpotè mediis ab eodem Deo proscriptis, uti ex Sacra Scriptura patet, prorsus indecentem, & illicitam esse, ideoque haudquaquam a Deo exaudibilem: nam quomodo Deus te utentem medio, quod ipse prorsus expunxit, exaudire velit?

XIII. Adde, quia petere a Deo rem omnino indifferentem, scilicet rem sui natura neque bonam, neque malam moraliter, esse prorsus illicitum, & inhonestum, ut docet Suarez (a), cujus verba hic referre decrevi, ut res tanti momenti faciliùs intelligatur: *Petio*, inquit, *de materia indifferente, ut sic, non potest pertinere ad divinum cultum: tum quia continet petitionem rei decentis a Deo, ut illud impleat; desiderium autem habendi rem indifferentem propter seipsam, & sine intuitu honestatis est turpe desiderium; & ideo petere a Deo, ut tale desiderium impleat, turpe etiam est, qua de causa non potest ad Dei cultum pertinere. Fallitur ergo qui dicit, se ita petere propter cultum Dei; non enim petit, nisi propter concupiscentiam suam, ut illi satisfaciat, vel etiam si aliquo modo intendat cultum, practicè errat; quia utitur medio, seu materia improportionata ad cultum, & ita non verum, sed fictum, & apparentem cultum intendit. Non audeo tamen dicere, talem orationem semper esse peccatum mortale.* Hucusque Suarez, qui ex suis verbis luculenter hoc asserit, petere a Deo materiam indifferentem semper esse peccatum, saltem veniale; quandoque tamen attentis quibusdam circumstantiis lethalis culpæ notam aufugere non videtur, hoc autem faciliùs contingeret, quando rem indifferentem cum tertii præjudicio (uti esset orare Deum pro dictis somniis tenendis) a Deo impudenter petimus; in quo autem casu potius rem moraliter malam per ipsas circumstantias a Deo peteremus. Quare Paulus Layman (b) pariter asserit: *Si quis rem indifferentem v.g. lucrum ex ludo, ad ulteriorem honestum finem non*

(a) *Tom.1.de Relig.lib.1.cap.23.n.5.* & *num.coroll.2.*
(b) *Lib.4.Theol.Moralis tract.1.c.1.* §.

non referendo a Deo petat, non exercet actum orationis religiosæ, sed peccat, quamvis non semper mortaliter: cum enim lucrum ex ludo secundùm se illicitum non sit, sed res indifferens; ideo cum auxilium Dei ad lucrandum petitur, non petitur a Deo concursus ad peccatum, quæ est gravis irreverentia; sed petitur auxilium Dei ad rem indifferentem, seu ut Deus expleat desiderium rei indifferentis, cujusmodi oratio bona, atque decens non est, non tamen ita indecens, ut semper sit mortale peccatum.

Et idem confirmatur evidenti ratione, ex qua quoque secunda nostra conclusio ostenditur: profectò tentare Deum ad patranda miracula peccatum est, unanimiter docent Doctores, Divus Thomas *(a)* Valent. *(b)*, Suarez *(c)*, Tolet. *(d)*, Clavisregia *(e)*, Lessius *(f)*, Reginald. *(g)*, Filliucius *(h)*, Paulus Layman *(i)*, cæterique omnes; sicuti proscribitur quoque a sacro eloquio *(k)*: *Non tentabis Dominum Deum tuum*: atqui Deum orare pro notione contingentium futurorum mediis illicitis, nempe somniis, obtinenda, perinde est ac Deum ad patranda miracula tentare, stante lege sua eorumdem somniorum interpretationē vetante; cū enim miracula patrare idem sonat, ac Deum operari non per potentiam ordinariam, seu secundùm præsentis divinæ providentiæ decretum, sed per potentiam extraordinariā, & absolutam.

XIV. Etenim indubitabile est, Deum operari secundùm præsentis providentiæ decretum, seu per potentiam ordinariam, idem esse, ac causis secundariis creatis uti, quæ ad productionem eorum effectuum juxta genus suum ordinantur; nec non est movere homines juxta leges naturales, & divinas, atque humanas quascumque vivere, seu intra naturæ ordinem stare: præsenti autem providentiæ divinæ decreto spectato aliud scibile hominibus permissum non videtur, nisi id, quod non est futurum merè contingens; sed tantum id, quod suæ naturæ debitum, aut conveniens supponitur; somnia namque nequeunt esse media ad illud agnoscendum ordinata, uti supra visum constat: hoc autem est, quod a præsenti divinæ providentiæ decreto statutum cernitur: igitur velle futura hujusmodi per somniorum

 media

(a) 2.2.*qu.97.art.1.*
(b) 2.2.*disp.6.qu.14.punct.1.*
(c) *Tomo 1. de Relig. tract.3. lib.1. cap.3.*
(d) *Lib.4.cap.19.n.6.*
(e) *Lib.4.cap.7.n.11.*
(f) *Lib.2.cap.45.dub.1.n.3.*
(g) *Lib.16.n.226.*
(h) *Tract.22.cap.8.qu.8.n.261.*
(i) *Lib.4.tract.10.cap.5.nu.4.*
(k) *Deut.cap.6.vers.16.*

media consequi, perinde est ac Deum tentare ad præter præsens decretum pro divinatoris favore operandum; itaque nostram doctrinam assertam benè quisque evidenter inferre valeat, scilicet esse Deum tentare ad noscenda contingentia futura; quia est ab eodem Deo, medio somnio observando, instanter precibus fusis, eorum agnitionem petere.

XV. Cæterum non nego de potentia absoluta, quam extraordinariam vocamus, seu in alio divinæ providentiæ decreto, Deum posse hoc exequi; quia tunc uti absolutus omnium rerum verus Dominus, mihi, vel tibi dominium rei alienæ tradere potest; scilicet eorum preces exaudire, quibus per somnia perpendenda notio futurorum contingentium occurrit, ut alienum haberi valeat; & adhuc inspecta alterius rei dominii translatione, uti legimus cum Hebræis ex Ægyptiorum bonis facta, aliisque, juxta ea, quæ posita sunt in cap. 2. num. 10. hujus Tractatus.

Tamen sciendum est, Deum precari pro hujusmodi dominio sibi precanti transferendo ex causa vitiosa, vel quasi vitiosa, nempe somniorum mediis, perinde esse, ac tentare Deum ad patranda miracula, quod est peccatum, uti dicebam. Et è contra quid tuæ menti videatur, velle Deum miracula patrare, ut vobis exaudiendis provideat, atque adjutorium suum præstet? Fortè necessarium est per potentiam extraordinariam, atque absolutam operari? & quomodo Deus aliis modis forsan caret in præsenti providentia, ad hoc, ut vobis sit providus? absit; est enim ipsamet per essentiam providentia. Conclude ergo, illicitam esse orationem, quam Deo, vel Sanctis pro hujusmodi notione elargiuntur Fideles, & haudquaquam Deum prædictas preces ex potentia ordinaria, sive juxta providentiæ decretum (nisi ex absoluta omnipotentia, atque extraordinaria, quod est miraculum patrare) exaudire posse; præsertim, quod sit in præjudicium alterius. Hinc ab hoc malo Lector cave, & fac bonum, & aliis invidiosus eris. Soli igitur sapienti Deo, per JESUM Christum, honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen. Apostolus (a).

TRA-

(a) *Ad Rom. 18. vers. ultim.*

TRACTATUS II.

DE CABALIS.

ISAGOGICON.



RIPLEX hominum obſervantium genus eſſe perpenditur. Quidam magis rudes, & ſocordes agnoſcuntur, ut futurorum merè contingentium notione calleant, ſomnia meditantur. Quidam nimis perſpicaces ſe exiſtimant eſſe; ideo Cabalas funditùs excogitant. Cæterique verò neutros præfatorum tantùm ſe eſſe profitentur; ſed medium tenentes aditum, modò ad ſomnia, modò ad Cabalas ſcrutandum ſæpè declinant. Quod autem veriſſimum eſt, nemo horum eſſe ſanæ mentis, atque orthodoxæ fidei inſtructus perfectè, cernitur; quoniam characteris baptiſmatis, quo eorum Animæ inſigniuntur, parum, aut minimè recordantur; quia eodem Chriſtum Dominum, non Dæmonem, ſequi ſincero corde obligantur, cui cum ſolitum ſit Ethnicorum, famulatum præſtare; ideo eis tàm ſomnia, quàm cabalas, aliaque ſuperſtitioſa obſervare permiſſum videtur; non verò Chriſtianis, quibus hæc omnia quolibet jure penitùs interdicuntur. Cum igitur de ſomniis, eorumque vana obſervatione, malitia, atque culpa, in qua homines divinatores, eis utendo, labuntur, jam peractum ſit; modò ad alium execrabilem cabalarum uſum eliminandum, Dei implorato adjutorio, gradum faciam.

CAPUT I.

De Cabalæ Natura.

SYNOPSIS.

I. *Cabalas observare, & interpretari est mores corrumpere.*
II. *Cabalæ ethymon, atque ejus natura enucleatur.*
III. *Quomodò intelligatur a Joanne Pico Mirandulæ, exponitur.*
IV. *Nonnulli sentiunt, Cham Noemi filium cabala abusum fuisse.*
V. *Cabalam bonam, veram scientiam esse arbitror.*

I. Divinus Plato (a) sic hisce notis loquitur: *Nemini liceat illiberali quæstui incumbere, neque illud mechanicum, & infame lucrum quærere, quod mores corrumpit, neque ullo pacto existimare ex rebus vilibus, ac turpibus pecunias cumulandas esse*: hucusque Plato. Et quis est tàm socors, ut suam aciem non acuat ad cernendum, an suos mores corrumpat, quærendo ex quodam incerto, & indifferenti futuro lucrum, cabalas observando, quod tempus frustra terit, dum eas interpretatur. Nam quis eum docuit, cabalas esse ordinatas ad futurum merè contingens præsagiendum? unde didicit hanc ignaviam? cui textui aut sacro, aut profano, cui authoritati, cui rationi nititur? nisi vulgi nugis, qui instar ovium operatur, unam una temerè sectando, & quod pejus, tot peccatis inficiatur, tot superstitionibus maculatur, totque variis vitiis tingitur, & seipsum non consulit? qua de re si hanc veritatem osculatur, affabrè protulimus, cabalas observare, & interpretari esse verè mores corrumpere; ideoque infame lucrum exinde quærere; & tamen oculis redimitis crebrò in hujusmodi facinus incidunt, & qui sunt hi? homines utplurimum literis circumdati, majori agnitione præditi, sano judicio pleni; nihilominus eos non pudet, istas imbellicitates subire. Hinc, sicut dixi divino adjutorio fretus, hos suasos hujusce veritatis reddere conor, & præsenti mea lucubratione, licèt viribus levibus præjudicium è medio tollere properanter meditor, a natura rei exordiendo; ideoque prædictum caput, quid sit cabala, assertum videtur.

II. Hinc

(a) *In lib. 5. de legibus.*

II. Hinc cabala, & cabalistæ dicuntur a voce Hebræa *Kabal*, quod est *recipere*: quare cabala Hebraicum nomen est, quod latinè *receptionem* significat, seu traditionem veteris testamenti Patrum receptam sine ullo scripto secundùm Rabinos, uti multi Doctores tradunt. Unde cabala erat scientia apud Judæos, quam per Moysen volebant communicatam quibusdam sapientibus de divinis rebus citra omnem Scripturam, eandemque ita aliis traditam usque hodie apud se esse contendunt, eodemque sensu loquitur in sua Polyanthea Joseph Langius (*a*): *Kabala nihil aliud est, quam textus Hæbraici arcana consideratio, oretenus tradita, & accepta, seu quod velut jus sacrum, & hæreditarium continua generationum serie transmittebatur.*

Inhæret autem hæc scientia traditionibus morum, ut asserit Magr. in Hierolexic. verb. *Kabala*: Kabala, seu Cabala (utroque enim modo scribitur) dicitur scientia symbolica, per quam aliquod vocabulum cum altero, aliquid aliud mysterium designatur, ubi subdit: *Hanc scientiam ab Angelis traditam fuisse ex Rabinorum traditione, & successivè ad posteros Patriarchas, & Dei amicos pervenisse, apud quos tantummodò conservabatur, nec vulgo communicabatur*: quare hujusmodi Doctor istam scientiam ab Angelis traditam fuisse contendit, quod mihi arridet, quia passim in Sacra Scriptura legitur Deum allocutum esse hominibus; & tamen permulti ejusdem Scripturæ interpretes, Sancti Patres, & Theologi mediatè Deum fuisse allocutum, scilicet mediantibus Angelis, docent.

Quod maximè confirmat Dionysius Areopagita (*b*) hisce verbis: *Secretiora mysteria a nostræ religionis Authoribus ex animo in animum (sine literis) medio intercedente verbo, fuisse transfusa, hoc eodem penitùs modo ex Dei præcepto vera illa legis interpretatio Moysi deitùs tradita revelarent, dicta est cabala, quod idem est apud Hebræos, quod apud nos receptio.* Nota ly *ex Dei præcepto*, quatenus non immediatè a Deo, sed ab eodem mediantibus Angelis traditum fuisse Moysi, illius legis arcana supernaturalia interpretari.

III. Nihilominus eruditissimus Joannes Picus Mirandulæ dissentiri videtur, dum in illa Apologia de magia naturali (*c*) sic eruditè inquit: *Præter legem, quam Deus dedit Moysi in Monte, & quam* reve-

(a) *Tomo* 1. *lib.* 10. *in verbo Kabala.*
(b) *Lib. de divinis nominibus.*
(c) *Tom.* 1.

revelatam quoque fuisse eidem Moysi ab ipso Deo, veram legis expositionem cum manifestatione omnium mysteriorum, & secretorum, quæ sub cortice, & rudi facie verborum legis continerentur. Quod tamen parum refert, an immediatè a Deo, vel mediatè prædicta cabala data fuerit; sat est si illam revera datam fuisse constet; cum nonnulli dentur, prorsus illam negantes a Deo esse emanatam, & suspicantes fuisse perfidum quemdam hominem, & diabolicum, qui cabala cognominatus fuit, quique multa adversùs Christum Dominum scelera scripsit, ac proinde multos obtinuit sectatores cabalistas appellatos, qui ejus impias falsasque doctrinas acriter propugnabant, uti inter cæteros notat citatus eruditissimus Picus.

IV. Quemadmodum & supra relatus Doctor Magr. (*a*) sentit; Cham Noemi Filium cabala abusum fuisse, qui eam Ægyptios docuit, & isti in idololatriæ cultu illam adhibere cœperunt; quapropter si verum hoc esset, sequeretur non fuisse cabalam Moysi a Deo traditam; quandoquidem Cham Filius Noe ex sex mundi ætatibus hucusque delapsis, in secunda ætate vixit; Moyses autem ortus fuit in tertiæ ætatis mundi complemento: itaque inferretur uti verum, quod ego protuli. Quidam verò cabalam esse divinandi artem somniarunt, necnon insanierunt. Et demum cæteri adhuc insanè cætera protulerunt.

V. Quod autem mihi consonum videtur; cabalam bonam esse veram scientiam oretenus a Deo Moysi traditam; quatenus sapientiores Hebræorum illam non per literarum monumenta, sed ordinariis revelationum successionibus alter ab altero quasi hæreditario jure receperunt; qua autem scientia oretenus habita, altissima mysteria, necnon articulos revelatos nostræ Fidei, sive cætera supernaturalia, quæ firmiter nos profitemur, præfatos ipsos sapientiores novisse, multi Doctores substinent. Et præcipue Pater de Burgonovo contra Petrum Garsia (*b*), & Salmeron. (*c*); quare exceptis istis Hebræorum sapientioribus, reliquus eorum populus rudis, erat illorum prorsus inscius & incapax; & ideo locutus sum hisce verbis, consonum mihi videtur, quia ex iis mox asserendis motus fui.

CAP.

(a) *In loco citat.*
(b) *In doctissimas suas conclusiones cabalisticas.* (c) *Tom.1.prolegom.*

CAP. II.

De Quatuplicitate Cabalæ.

SYNOPSIS.

I. *Cabala primò dividitur in bonam, & malam.*

II. *Bona cabala tres habet species, quarum prima Sacræ Scripturæ Hebræorum sensum reconditum, seu mysticum continet.*

III. *Duo carmina, ubi sensus supernaturalis, seu mysticus nostræ Sacræ Scripturæ continetur, exponuntur.*

IV. *Exemplum sensus mystici primæ speciei bonæ cabalæ ex multis doctoribus affertur.*

V. *Altera species bonæ cabalæ, in quo consistat, & cum multis exemplis declaratur.*

VI. *Explicatur tertia bonæ cabalæ species, cum suis quoque exemplis.*

VII. *Quatuor illi sensus, quibus Sacra Scriptura a nobis Christianis, quomodo ab Hebræis appellantur, & si iis utantur.*

VIII. *Qualis ex istis quatuor sensibus appellatur ab Hebræis Cabala.*

IX. *Si Hebræi non literaliter, sed anagocicè, seu cabalisticè eorum Scripturas explicaret, nobiscum convenirent in profitendis nostræ Sanctæ fidei Articulis.*

X. *Nullam ex tribus speciebus bonæ cabalæ ad præsagienda futura ordinatam esse, omnes fateri debent.*

XI. *Mala autem cabala verè, & propriè, ars diabolica, sive necromantia nuncupanda est.*

XII. *Hujusmodi malæ cabalæ magistri infames, illam esse a Deo Moysi traditam, indignè, & perperam jactitant.*

I. ENucleata hucusque cabalæ natura, nunc ad ejus divisionem tangendam gradum facimus; quoniam juxtà Philosophorum sensum, natura cujuslibet rei tum ex definitione, tum ex divisione magis liquet. Itaque scientiam hanc cabalisticam Authores infra citandi in bonam, & malam communiter dividunt.

II. Prima tres habet species, quarum una declarat Sacræ Scripturæ

verba

verba in aliquo myſtico ſenſu, ſeu recondito, atque (uti ſolemus dicere) in ſenſu figurato; & eſt veluti Theologia myſtica Hebræorum, ſicuti penes nos christianos adhuc myſtica hæc Theologia extare videtur, quæ præter literalem, ſeu grammaticalem ſenſum, alium ſupernaturalem, ſeu figuratum habet; puta moralem, allegoricum, & anagogicum: juxta illa duo carmina a Theologis miſticæ Theologiæ effecta, ut faciliùs memoria retinerentur, ſcil.

III. *Litera geſta docet; quid credas Allegoria.*
Moralis quid agas; quo tendas Anagogia.

In quibus carminibus, quid ſinguli illi ſenſus explicent, benè attendenti patet.

IV. Quamobrem Julius Maurocenus, Neophitus (antea verò Rabinus, ſcilicet unus ex ſapientioribus, & magiſtris Judæorum) in ſuo opere, Via Fidei Hebræis oſtenſa (*a*), & Stephan. Menochius (*b*), ubi hac propoſitione utitur ad præſtandum exemplum hujuſmodi primæ ſpeciei bonæ cabalæ, ſcripturam explicantis in myſtico ſenſu, ſcilicet *cum fiet lux ſpeculi non lucentis, ſicuti ſpeculi lucentis, erit nox ſicut dies. Quæ propoſitio*, ait, *reſurrectionem, & glorificationem corporum in Cœlis indicat* juxtà illud Apoſtoli (*c*) *reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*, quo textu noſtri Theologi paſſim utuntur ad corporum beatorum, & reſurrectionem, & glorificationem cum quatuor beatitudinis dotibus oſtendendam, quatenus noſtra corpora (ſi cum pœnitentia finali, & Dei amici ex hac vita diſceſſerimus) in judicio magni Diei non ſolum reſurgent, ſed æquè glorificantur juxtà illam ætatem, & pulchritudinem JESU Chriſti noſtri Redemptoris. Meritò igitur Joſeph Langius in ſua Polyantea (*d*) aſſerit, *Kabala eſt Doctrina accepta ab alio*, & poſt pauca: *Hoc nomen uſurpatum eſt de myſteriis, quæ in Sacris literis velut latent, conſervatione, & propagatione; hujuſmodi eſt myſterium SS. Trinitatis, doctrina de Perſona, Officio, & Adventu Meſſiæ, & denique Sanctificatio nominis Divini.*

V. Secunda ſpecies bonæ cabalæ in verborum alicujus vocabuli mutatione conſiſtit pro aliquo recondito, vel myſtico quoque ſenſu revelando. Nos ſæpè efficimus, cum aliquod anagramma componimus: puta illud quod in noſtra civitate erga nomen noſtri Imperatoris ſemper Auguſti factum perpenditur (Quem Deus Dominus perenniter con-

(a) *Par.* 2. *cap.* 69. *pag. mihi* 1132.
(b) *In Storeis centuria* 1, *cap.* 14.
(c) *Ad Philip. cap.* 3.
(d) *Loc. cit.*

conservat, atque felicitat) videlicet: *Carolus Sextus Imperator*, en Oraculum, *Uxor pariet tres masculos*. Pariter hoc alterum, *Sacra Eucharistia*, en Oraculum, *Cara JESU charitas*. Sicut illud purissimum Anagramma, augurium tam felix ac faustum Christiano Orbi indicans, confectum a præstantissimo Viro Dominico Viva Societatis JESU in singulari tractatu de Jubilæo, ex proprio nomine præteriti Summi Pontificis erutum, tunc temporis Beneventi Archiepiscopi; en, *Vicentius Maria Ursinus Dominicanus*, en Oraculum, *Vir mirus scando in Vaticanum sine nisu*: & sic de singulis. Quare quemadmodum nos mutatione verborum sive in nomine, sive in quavis re capaci assolemus uti, ita & Rabini mutatione verborum alicujusvis Scripturæ pro aliquo eruendo sensu recondito persæpe utebantur; idcirco supra citatus Julius Maurocenus ibi exemplum præstat de hoc verbo Hebraico *Melachi* (quod in nostro idiomate, *Angelus meus*, exprimit) ex quo mutato, hoc aliud resultat *Michael*.

VI. Tertia verò bonæ cabalæ species, quam supra citatus Author Rabinus assignat, est Arithmetica computatio super literis alphabeti. Nam Hebræi, ac Græci numeris non utebantur, uti nos utimur, sed eorum vice literas adhibebant; Aleph enim per eos significat *unum*, Beth *duo*, Ghimel *tria*, & sic de singulis: quare qui cabala pollent, numerant literas alicujus vocabuli, & observant, quem numerum faciant eædem literæ, ut inde sumant illius vocabuli reconditum sensum, quem modum nos nuncupare solemus quoque anagramma, sed numerale, & adhuc illo sæpe tum circa hominum nomina, tum circa quaslibet alias habiles res utimur: puta hoc anagramma numerale *JESUS*, ex quo hic numerus resultat 394. & ex hoc autem numero, en Oraculum, *DEUS ES*. Ita pariter sapientiores illi Hebræorum hoc circa Sacram Scripturam etiam persæpe adhibere solebant. Quamobrem Menochius loco citato in Storeis *(a)* hoc aliud exemplum præbet, ex Sancto Irenæo sumptum ab Antichristi nomine; de quo cum scriptum sit in Apocalypsi *(b)*, *Numerus enim hominis est, & numerus ejus sexcenti sexaginta sex*, arbitratus est ex hoc numero Apocalypsis nomen hoc Antichristi futuri TEITAN emanare; ea ratione quia in numeris Græcis T significat 300. unde cum sint duo TT in dicto nomine, hunc numerum 600. exhibent, N 50. componit, I 10. numerat, E quinque computat, A unum exprimit;

(a) *Centur. 1. cap. 14.* (b) *Cap. 13. vers. 18.*

mit; adeout hæc tota numerorum ſeries numerum hunc 666. compleat: & de hoc latiùs agit Malvenda (a), idem exemplum de Antichriſto adductum a S.Ireneo, & revelatum a citato Menochio quoque confirmans: licèt penes alios numerus relatus Apocalypſis pro Luthero intelligatur.

VII. A prædictis pariformiter nil diſcrepare videtur ſupra citatus Picus Mirandulæ in eodem loco, ubi docet, quod ſicut apud nos, uti dicebam, ita & apud Hebræos, quatruplex eſt modus Bibliam exponendi, literalis ſcilicet, myſticus, ſive allegoricus, tropologicus, ſive moralis, & anagogicus. Literalis apud Hebræos nominatur *Peſat*, quemadmodum tenent apud eos Rabi Salomon Chemoy, cæterique Magiſtri, & Scriptores Rabini. Allegoricus appellatur *Midras*, unde ſæpe apud eos audies Midras Ruth, Midras Tillym, Midras Coeleth, ideſt myſtica expoſitio per Midras ſuper Ruth, ſuper Pſalmos, ſuper Eccleſiaſten, & ſic de cæteris; iſtumque autem modum maximè ſequuntur Doctores Talmudici. Tropologicus, ſive moralis nuncupatur *Sechel*, quem ſequuntur Abraham Abenezra, & Levi Ben-Gherſon; & ante omnes Rabi Moſes Ægyptius, aliique.

VIII. Anagogicus verò vocatur *Cabala*, & hæc eſt illa expoſitio, quæ ore Dei Moyſi tradita dicitur, & per ſucceſſionem ab aliis modo prædicto accepta; quique autem ſenſus anagogicus penes nos, Cabala penes Hebræos cæteris præpoſitis ſenſibus ſublimior, & divinior eſt, ſurſum nos ducens, a terrenis ad cœleſtia, a ſenſibilibus ad intelligibilia, a temporalibus ad æterna, ab infimis ad ſuprema, ab humanis ad divina, a corporalibus ad ſpiritualia noſtrum intellectum trahit.

IX. Hinc eſt, quod validiſſima inde argumenta adversùs Hebræos deſumuntur, qui immemores prædicti Cabaliſtici ſenſus jam facti noſcuntur. Nam diſſenſio inter eos, & nos vigens, hæc videtur eſſe, uti maximè patet ex Epiſtolis Pauli, quod illi ſequantur literam occidentem, nos autem ſpiritum vivificantem, & ideo dictus Apoſtolus in Epiſtola 2. ad Corinthios (b) ſic habet: *litera occidit, ſpiritus autem vivificat*. Etenim cum Hebræis in prophetiis promittatur, quod Meſſias eos liberabit de captivitate, eoſque adducendo in terram promiſſionis, & in Jeruſalem, & in templo gaudebunt, & congregabuntur. Ipſi haſce Scripturas literaliter, ſeu *Peſat* intelligentes,

(a) *Lib.8.de Antichriſto cap.8.* (b) *Cap.3.n.6.*

gentes, captivitatem mundanam, terram promissionis, quæ est Judæa terrestris, materialem Civitatem Jerusalem, & manufactum templum expectare præsumunt; idcirco credere nolunt Christum nostrum Redemptorem fuisse Messiam, per quem de illa terra promissionis ejecti sunt, & Civitas destructa, & dirutum fuit templum. Quare si cabalisticè, seu anagocicè illam Scripturam exponerent, utique ipsam de cœlesti Jerusalem, de captivitate spirituali, de cœlesti terra viventium loqui agnoscerent, & simul illum fuisse verum Messiam, per quem totus orbis de manu Dæmonis, cui per idololatriam serviebat, fuit ereptus, confiterentur; adeout nullus esset Fidei Articulus, in quo nobiscum Judæi per cabalæ authoritatem sentire non cogerentur, uti magis in sequenti capite constabit.

X. Quod autem necessarium est ex dictis colligere, nomine bonæ cabalæ in quavis ejus specie sumptæ profectò venire modum quemdam a Deo oretenus Moysi revelatum, & per Moysem sapientioribus Israelis populi traditum, quo supernaturalia arcana illi perscrutari possint; & quippe nullatenus ex prædictis bonis cabalis ad præsagienda futura, præsertim merè contingentia, aliquam ordinatam esse ex dictis evidenter constat: qua de re obsecro lectorem non solum citatos hic Doctores, imo quoslibet morigeratos, & doctos de hac materia agentes pervolvere, ut si aliquem eorum, aliter ac ego exaravi, invenire ipse valeat oppositum huic doctrinæ inclinare sensum: at si omnes unanimiter sic reperias docentes, te quoque huic meæ doctrinæ adstipulaturum esse nullum dubium erit, quæ hæc est, nullam ex dictis bonis cabalis ad præscrutanda futura merè contingentia, seu indifferentia a Deo ordinatam esse jam liquet, & magis infra liquebit.

XI. Perveniamus igitur ad alteram positæ divisionis partem, nempe ad malam cabalam, quæ est illa, ex qua Hebræi ex punctis, lineis, accentibus, & spiritibus operationes mirabiles deducere conantur, & hac Cabala utuntur ad Dæmones ligandos, & ad præstigia facienda; adeout sit vera Necromantia, ars diabolica, continens non solùm multas ineptias, sed plures res impias, & omnium hæresum surfure conflata; quare de hac mala cabala Hebræorum loqui intelligitur Gaspar Schottus in sua physica curiosa (a), ubi his verbis: *Errant, qui cabalam Judæorum philosophiam omnium rerum doctrinam my-*

(a) *Tom.2.lib.12.cap.1.num.1.*

ſticè, & ſymbolicè callere putant, fœtet illa jam ſatis vanitatis promiſſorum tantorum, & falſitatis convicta; confirmantes idem, ſed majori verborum ſtrepitu Pignatell. (*a*), Genebrard. (*b*), Cornel. Agrippa (*c*), Nicol. Serarius (*d*), Galatinus (*e*), Martinus Delrius (*f*), Baldellus (*g*), qui, & cæteri Doctores, quos brevitate omitto, adversùs hanc malam cabalam graviter dedignantur, eam non ſolum ſpernendo, utpotè omninò fruſtraneam, ſed tanquam Chriſtianæ Reipublicæ maximopere obnoxiam acriter expungendo: itaque ab orbe Chriſtiano catholico illam penitùs exulem declarandam eſſe adhuc pœnis oportet, & quivis catholicus ſe pudere deberet pro hujuſmodi exitioſo opere in ſcrutandis futuris ea uti. Sed hoc ad majorem longam ſermocinationem faciendam in ſequenti capite ſervetur, ubi ineptitudo, & peccatum, quod patrant noſtri temporis cabaliſtæ evidenter oſtenditur.

XII. Verùm uti videre eſt penes citatos Doctores, alioſque, & præſertim Picum (*h*), adhuc ipſam bonam cabalam quidam infames atque perverſi Hebræorum homines exiſtimati ſapientes (ſed potius Dæmonis pedeſſequi, cui obſequium ſpondent) adulterio fecerunt eſſe ſubjectam: nam res divinas falſis, & vanis ſuperſtitionibus polluentes, imò in rei veritate quaſi nihil a Necromantibus differentes, dixerunt ſe habere ſecreta Dei nomina, & virtutes, quibus Dœmones ligarent, & miracula facerent, & ſic hujuſmodi falſum ſibi cabaliſtarum nomen vindicarunt, dicentes, artem ſuam eſſe illam veram cabalam, quam Moyſi Deus revelare dignatus fuit. O inſenſati homines ſic loquentes! O ſtulti, & leves corde hiſce fallacibus fabulis credentes! Sed meliùs hujuſmodi rem intueamur.

CAP.

(a) *Tom.*5.*conſult.*14.*num.*7.& 8.
(b) *Lib.*12.*chronol.*
(c) *Lib.de vanitate ſcient.cap.*47.
(d) *Lib.*1.*de Rabinis cap.*13.
(e) *Lib.*1.*de Arcanis cap.*7.
(f) *Lib.*1.*cap.*4.*qu.*3.
(g) *In Theologia Morali tom.* 2. *lib.* 4.*diſp.*16.*num.*5.
(h) *Loco citat.*

CAP. III.

Verior, & clarior Cabalæ notio asseritur.

SYNOPSIS.

I. *Cabalæ origo, progressus, obex, ejus exaratio in scriptis, & a quo, hic clariùs exponitur.*

II. *Cum lege Deus Moysi dedit oretenus aliam scientiam ad supernaturalia noscenda sub illa lege tecta ordinatam, & in scriptis exarari vetitam.*

III. *Dumtaxat vocibus, successoribus communicata, & ideo ab illis sic recepta, cabala nominata fuit, & idem est cabala, ac penes nos receptio.*

IV. *Postquam a captivitate babilonica Hebræi restituti fuerint, Esdras prædictam scientiam a Deo oretenus Moysi datam scribi (ne perderetur) jussit.*

V. *Juxta numerum septuaginta sapientiorum Rabinorum, quibus comunicata fuit dicta scientia, septuaginta pariter libri cabalarum scripti fuerunt.*

VI. *Duæ propositiones stabiliuntur, quarum prima est, revera tradita fuit a Deo prædicta scientia, & hæc clarè ostenditur, & per Doctorum, & per Sacræ Scripturæ authoritatem.*

VII. *Adducitur pariter authoritas ejusdem Esdræ (a), qui si non Canonicus, tamen tota fide humana est dignus.*

VIII. *Quid Hilarius de re hac protulit, affertur.*

IX. *Hæc est secunda propositio, mysteria cabalæ in septuaginta libros per præceptum Esdræ redacta fuerunt, & hæc quoque clarè patet.*

X. *Quomodo liber ille, in quo nomina illorum sapientiorum, qui libros cabalæ scripserunt, apud Hebræos appellatur, asseritur; sicuti tempus ætatis, quod quisque Hebræus habere debet, ut dictos libros legere possit, exponitur.*

XI. *In tres sectas, scilicet in Talmudicos, Philosophos, & Cabalistas. Schola Hebræorum est divisa.*

XII. *Hebræi Cabalistæ adhuc a nostris Catholicis Doctoribus pluries allegantur.*

XIII.

(a) Lib.4. cap.14.

XIII. *Quamlibet scientiam ab Hebræis pro occulta habitam, illi quoque cabalam nuncupare solent.*

XIV. *Theologi nostri unanimiter docent, multa mysteria nostræ Fidei, & quæ Hebræos credere haud obligatos fuisse ante Christi Domini adventum, nonnullos eorum Patriarchas, quibus illa revelata existimantur, teneri.*

I. PRO majori captu non solùm dictorum, sed etiam dicendorum, fas est hic, non tantùm cabalæ originem iterum meliori modo repetere, sed ejus progressum, obicem, ejus in scriptis exarationem, & a quo, ejusdemque existentiæ rationes, aliaque ad eandem pertinentia obiter recensere. Hoc autem est factum, & non jus: idcirco si quispiam dubio tam de relatis, quàm de dicendis afficiatur, quæso, quos retuli, & referam, Doctores perlegat; qui utique plena fide sunt digni, cum nulla passione moveri potuerint ad vitiandam, vel corrumpendam veritatem ipsam, vel aliquid aliud tradendum, quod a Catholicis Doctoribus, & præcipuè Sanctis Patribus, quorum quibusdam hæc nostra doctrina nititur, sit prorsus alienum.

II. Jam verò in capite superiori exaravimus, quod præter legem, quam Deus in Monte Sina in duabus tabulis Moysi dedit; & præter pariter illam legem, quam divino jussu idem Moyses in illis quinque libris suis, alio idiomate *Pentateucum* dictis, condidit, revelatam quoque fuisse oretenus a Deo eidem Moysi in eodem Monte veram ejusdem legis expositionem, cum manifestatione omnium mysteriorum, & secretorum, quæ sub cortice legis continebantur: de qua autem recondita revelatione præceptum Moysi a Deo datum fuit, ne illam scriberet, sed dumtaxat septuaginta sapientibus voce comunicaret, quos de facto ex mandato Dei elegisset ad hanc legem custodiendam, eisque itidem præcipiens, ne eam scriberent, sed eorum successoribus (idest illis, qui per eorum mortem, eorundemque vicibus fungi debebant) voce quoque revelarent; & sic illi aliis, ordine perpetuo, observare debebant.

III. Ex quo modo tradendi istam scientiam per successivam scilicet receptionem unius ab altero dicta est scientia *cabalæ*, quod idem est ac scientia receptionis: etenim idem apud Hebræos cabala exprimit, quod apud nos receptio; quodque autem præceptum Dei Moysi, & Moysis illis septuaginta Doctoribus sapientioribus Hebræorum,

adeò

adeò servatum fuit, ut usque ad tempus Esdræ de ista doctrina nil in scriptis repertum fuerit; at unicè, uti inquiebam, per successivam receptionem tradebatur; undè cabalæ nomen usurpatum agnoscitur.

IV. Postquam autem a babilonica captivitate restituti fuerint Hebræi (nam quivis sacræ paginæ adhuc modicè conscius, quanta mala populus ille Hebræorum sub sæva Nabucodonosoris tyrannide passus fuerit, benè capit) & sub Zorobabele instauratum templum, Esdras qui tunc temporis Synagogæ Hebræorum fuit Præfectus, post reparatam legem Moysis scriptam, totumque vetus testamentum; voluit etiam ut ista secreta Dei eloquia, quæ usque ad illud tempus scripta non fuere, scriberentur: quandoquidem propter gentis suæ captivitatem non poterant illum ordinem tradendi perpetuò servare; cum meritò erat dubitandum, ne propter eorum dispersionem, nisi inveniebantur scripta, tandem perirent. Qua de re statuit Esdras, ut adhibitis ad hoc specialiter Notariis, scriptis exararentur; & quoniam septuaginta Seniores, sive Consiliarii atque sapientes numerabantur, penes quos hæc cabalæ doctrina extabat; ideo præceperit, ut omnia illa supernaturalia arcana in septuaginta libros principales juxta eorum numerum redigerentur, scilicet ut quilibet eorum sapientum cabalæ suum librum conflaret; qui tamen libri, condito infallibili præcepto, non nisi ipsi sapientibus, eorumque in sapientia successoribus tradi precipiuntur.

V. Hujusmodi autem libri sunt, qui cabala nuncupantur, quos cabalisticos libros Hebræi in summo honore, & reverentia tenent, quorum authoritas ab eis nunquam negari audetur. Præterea supra citatus Picus Mirandulæ ipsos summa impensa conquisitos cum sedulè perlegerit, ibi permulta imo penè cuncta fidei nostræ consona invenit: quare meritò Hebræi eos maximè venerantur, licèt ipsi illis abutantur, cum ipsorum mens in pœnam peccatorum sit obcæcata, qua obcæcatione quia miseri laborant, quid perpendere deberent, non intelligunt.

VI. Hoc est factum, quodque ut patens fiat, duæ hic propositiones conflantur, quibus singillatim saltem per rationes authenticas probatis, magis liquet quod hactenus relatum est.

Prima igitur propositio, quam expromere cupio, hæc est, fuisse a Deo Moysi latam, præter leges scriptas, hanc secretorum mysteriorumque manifestationem, & sic per Moysen septuaginta He-

bræo-

bræorum ſapientioribus. Conſtat primò ex eiſdem Hebræorum ſapientioribus, puta Rabi Eliazar, Rabi Moyſe de Ægypto, Rabi Simeon Benlagis, Rabi Iſmahel, Rabi Jodam, & Rabi Nachinam, aliiſque quampluribus Hebræorum Scriptoribus. Secundò conſtat ex ſacra noſtra Scriptura, ſcilicet novo teſtamento ex Apoſtolo ad Romanos (*a*) *Quid ergo amplius Judæo eſt? aut quæ utilitas circumciſionis? multum per omnem modum. Primum quidem quia credita ſunt illis eloquia Dei*. Quatenus ſapientiores illi Hebræorum facti ſunt depoſitarii earum rerum, quæ Dei eloquia appellantur, ſcilicet ſecreta, ſeu myſteria ſupernaturalia Dei oretenus Moyſi tradita: quare hunc Apoſtoli textum ſic expoſuit Origenes (cujus teſtimonium in his, in quibus ab eccleſia recipitur, eſt validiſſimum, quia ubi benè, maximæ eſt authoritatis) *conſiderandum eſt*, inquit, *quia non dixerit literas eſſe creditas, ſed eloquia Dei*.

VII. Ex his dictis Origenis hoc eruitur, præter literalem legem aliud Judæis fuiſſe traditum, quod hic Apoſtolus *eloquia Dei* appellat, quodque apud Hebræos cabala nominatur, ſeu germanus legis ſenſus ab ore Dei acceptus. Luculenter magis apparet in lib. 4. Eſdr. (*b*). *Revelans revelatus ſum ſuper rubum, & loquutus ſum Moyſi, quando populus meus ſerviebat in Ægypto, & miſi eum, & eduxi populum meum de Ægypto, & adduxi eum ſuper Montem Sina, & detinebam eum apud me diebus multis, & enarravi ei mirabilia multa, & oſtendi ei temporum ſecreta, & finem, & præcepi ei, dicens: Hæc in palam facies verba, & hæc abſcondes*. (Et licet hujuſmodi liber quartus Eſdræ non ſit canonicus, quatenus illum negans, hæreticus non eſſet; tamen non ſpernendæ authoritatis eſt, cum adhuc a nonnullis Sanctis Patribus prædicti libri tertii, & quarti Eſdræ interdum citentur) ex quibus verbis apertè conſtat hujuſmodi ſcientiam oretenus a Deo traditam; cum præcepto autem, ut abſconderetur a comuni hominum, ſed dumtaxat ſeptuaginta prædictis ſapientioribus voce clanculum comunicaretur.

VIII. Quamobrem Sanctus Hilarius claris notis idem teſtatur in expoſitione Pſalmi ſecundi, *quare fremuerunt gentes, &c.* ſic inquit, *erat autem jam a Moyſe ante inſtitutum in omni Sinagoga ſeptuaginta eſſe Doctores: nam idem Moyſes, Quamvis veteris teſtamenti verba in*

(a) *Cap. 3.* (b) *Cap. 14. verſ. 3.*

in literis condidisse, tamen separatim quædam ex occultis legis secretiora mysteria septuaginta senioribus, qui Doctores deinceps manerent, intimaverat; cujus doctrinæ etiam Dominus in evangeliis meminit dicens: Super cathedram Moysis sederunt scribæ, & pharisei; omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, facite, & servate; secundum verò facta eorum nolite facere. Doctrina verò eorum mansit imposterum. Hæc Hilarius ad verbum, qui palàm asserit, fuisse præter legem scriptam, quandam aliam secretiorem Moysi, & per hunc ipsis septuaginta sapientibus intimatam. Qua de re hujusmodi septuaginta seniores & mirabiles consiliarii, hebræo idiomate *sanedrim* scilicet (quando conciliariter uniebantur) nuncupati fuere, quos Moyses ex Domini præcepto elegit, quorum locum, & numerum in nostra Ecclesia Cardinales tenent, ut Pico a Mirandula videtur.

IX. Altera propositio hæc est, prædicta mysteria cabalæ in septuaginta quoque principales libros redacta fuere tempore Esdræ, sic præcipientis septuaginta senioribus modo præfato; & posita hæc propositio ex eodem citato textu Esdræ (*a*) constat: *Scripti sunt autem per quadraginta dies libri ducenti quatuor, & factum est, cum complevissent quadraginta dies, loquutus est Altissimus, dicens: Priora, quæ scripsisti, in palam pone, & legant digni, & indigni; novissimos autem septuaginta conservabis, ut tradas eos sapientibus de populo tuo: in his enim est vena intellectus, & sapientiæ fons, & scientiæ flumen: Et feci sic.* Ex quo luculenter liquet, Esdram præcepisse, ut prædicti septuaginta cabalarum libri scripti fuissent.

X. Quamobrem, ut refert sapientissimus Picus (*b*), quicquid in hujusmodi septuaginta seniorum Concilio gestum fuerit, ejus mentio lata in libro, qui dicitur *Sederolam* penès eosdem Hebræos conservato, fusè legitur, quodque nomen *Sederolam*, idest *libri seculorum*, exprimit; ubi præcipuè concilium illud ab Esdra convocatum, ex septuaginta sapientioribus conflatum perpenditur, in quo præter mirabiliora gesta, & ordinem servatum, id sancitum carpitur, fuisse omnibus Hebræis præfatos cabalæ libros legere vetitum, sed tantum ipsis septuaginta sapientioribus permissum, dummodò quadragesimum eorum ætatis annum jam attingerint, quosque cabalæ libros summa in veneratione ab Hebræis haberi præcipitur, uti præsentes Hebræorum Rabini adhuc venerantur; tamen notione eos intelligendi

(a) *Lib.4. cap.14. ver.44.* (b) *In tom.2. Apolog.*

haudquaquam callere obſervatur ; & hoc in eorum cordium duritiam permiſſum proculdubio aſſeritur, cum quicquid in eis legant, penitùs intelligere minimè valeant.

XI. Pariter totam Hebræorum ſcolā in tres ſectas divisā eſſe ſciendum eſt, nempe in Thalmudicos, Philoſophos, & in Cabaliſtas. Hoſce autem Talmudicos numquam allegari præſertim a priſcis noſtris Doctoribus viſum eſt. Et hoc duplici ex capite: primo quia noſtrates illi, uti Clemens, aliique diu ante compoſitionem ipſius Talmud vixerunt (nomine *Talmud*, liber ille judaicorum dogmatum expoſitiones continens, venire intelligitur; Talmudici verò talium dogmatum Profeſſores accipiuntur) illudque poſt Chriſti domini mortem pluſquam centumquinquaginta annos conflatum fuiſſe legitur. Secundò quia doctrina hæc Thalmudica, ſeu hujuſmodi Hebraica Dogmata totaliter nobis, ſeu Sanctæ noſtræ Fidei adverſantur, utpotè ab ipſis Hebræis tunc temporis adverſus Recentiores Chriſtianos pugnantibus juxta eorum libitum exarata fuere.

Minimè quoque Philoſophos, Doctores noſtri allegant: etenim illi ſecundùm eorum philoſophica ſcita bibliam exponere cœperunt; & hoc pariter poſt aliquod tempus a noſtri Redemptoris obitu ſortitum fuit, ut recentem orthodoxam eccleſiam expugnare valerent, omnibuſque Hebræis priorem expoſitorem Rabi Moyſem de Ægypto fuiſſe penes multos eruditos narratur, quo adhuc vivente, Averroes Cordurbenſis fluorit.

XII. Cabaliſtas verò pluries a Catholicis Doctoribus allegari evidenter patet, ex tot relatis hucuſque doctoribus, totque cæteris omiſſis, qui cabaliſtarum doctrinam a Deo Moyſi revelatam, & a Moyſe per ſucceſſionem aliis ſapientibus præfato modo propagatam profitentur.

XIII. Verùm præfatus iſte tradendi modus, qui cabaliſticus nominatur, unicuique rei ſecretæ convenire videtur: quandoquidem Hebræi unamquamque ſcientiam pro occulta, & abſcondita penes eos habitam, cabalam vocent; quinimo quodpiam ſcibile per viam ſecretam obtentum, medio cabalæ haberi ab eis aſſeritur.

XIV. Præterea fermè unanimiter noſtri Theologi fatentur, quod multa noſtræ ſanctæ fidei myſteria omnes Hebræi profiteri non tenebantur; quamvis medio cabalæ a ſapientibus tamquam divini eloquii depoſitariis excogitata fuerint; præſertim Sanctiſſimæ Trinitatis, In-

carna-

carnationis dogmata, Christum Dominum (per eos tunc futurum) ex duabus naturis divina, & humana in eadem Hypostasi divini verbi unitum, aliaque credere, nullo præcepto coercebantur: etenim Hebræis cunctis hæc revelata non reperiuntur; quemadmodum nobis per misericordiam Christi Domini, qui, ea patefacta nos doctos esse, piosque credere, jussit. Licèt quibusdam Excellentissimis Hebræorum Viris tùm sanctitate, tùm dignitate præditis, uti Patriarchis, aliisque, oretenus a Deo mysteria enucleata fuisse, sive per cabalam agnita, quoque Theologi nostri arbitrentur, quæ secretò conservata retinebant, eorumque inferioribus illa detegere vetabantur; uti benè insinuare videtur Guillelmus Estius (*a*), ubi distinguens inter homines majores, seu illustriores in sacra doctrina, & sanctitate, uti Prophetas, sive Patriarchas, & minores, seu simpliciores, quales erant reliqui de Hebræorum populo, qui Christi Domini adventum præcesserunt, ita docet: *Illi distinctam mysteriorum incarnationis acceperant; hi verò eorundem noticiam velatam*. Et (*b*) inquit: *Sed simplicibus pleniorem istructionem, vel revelationem non habentibus satisfuisse, si generaliter crederent humanum genus inde liberatum iri, modo aliquo divinitùs decreto, illis licèt incognito*. Hinc est, quod si pro secretis rebus penes Hebræos cabala quoque sumitur, præfata nostræ fidei sanctæ Mysteria Patriarchis a Deo exposita adhuc penes eosdem cabala dici poterant.

(a) *Tom.*2. *lib.*3. *dist.*25. §.3. (b) *In* §.4.

CAP. IV.

Ex hactenus dictis, quanta sit temeritas nostrorum divinatorum in observandis cabalis, patenter infertur.

SYNOPSIS.

I. *Hic divinatorum temeritas inscrutandis cabalis detegitur.*
II. *Quid sit temeritas, hic aperitur.*
III. *Quoque in sacra pagina temeritas expungitur.*
IV. *Divinatores nostros, cabalas scrutantes, esse verè temerarios haud dubitari potest.*
V. *Cabalas fictas, & somniatas quibusdam tradidit meus amicus:*
VI. *Cabalas vel observant divinatores uti procedentes ex illa a Deo Moysi tradita, vel uti emanantes ex illa dæmonis, vel uti inventas ab hominibus, semper quidem temeritas est.*
VII. *Obici, quo dicunt, interdum pro scrutandis cabalis bonam aliquibus evenisse sortem, respondetur.*
VIII. *Quamlibet cabalam a quolibet effectam, quovis idiomate constantem, nugacitatis, fatuitatis, & temeritatis notam effugere minime posse, omnes sanæ mentis fatentur.*

I. ONus, mihi quod hic occurrit, est divinatorum nostrorum temeritatem, atque ineptitudinem ostendere, qui dum *inscrutandis futuris* cabalas, aut potius sic per eos appellatas magno eorum mentis labore ad interpretandum unice tendunt. Quodque mihi difficile enucleare videtur; nimirum agnitis hucusque dictis in antecedentibus capitibus, laboriosus siquidem non tam erit intentus, cum lucu lenter de cabalæ natura, divisione, introductione, ejusque exaratione in scriptis, a quo, & quomodo jam peractum sit, & consequenter quid nomine cabalæ in recto sensu intelligatur, certò liquet. Cum igitur nostri divinatores ad quasdam chartulas scriptas perscrutandas tam pervicaces observentur, quas ineptè, & temerè cabalas nominant, ut quavis adhibita vocali suasione, semper in eorum vanitate, & insaniis falsis magis ac magis persistant, & quod pejus est, hanc eorum temeritatem adhuc temerè tueri conantur. Idcirco præ-

senti

ſenti dilucidatione, aut eorum corda ſuadentur, hanc vanam obſervantiam deſtituendo, aut in majorem pervicaciam culpabiliter indurabuntur; licèt non hiſce meis levibus rationibus hic, et infra adducendis, ſed dumtaxat divino adjutorio fretus, ut ſupernaturali gratia illuſtrati ab hoc tam exitiali abuſu reſipiſcant.

II. Jam verò temeritas divinatorum horum cabalas obſervantium ut magis innoteſcat, quid ſit temeritas hic aperiri fas eſt. Circa quam multa Doctores impingunt, & primus omnium Cicero (a) de natura deorum, ſic inquit: *Nihil eſt temeritate turpius, nec quicquam tam indignum ſapientis gravitate, & conſtantia, quàm aut falſum ſentire, aut quod non ſatis explorate perceptum ſit, & cognitum ſine ulla dubitatione defendere*: Joannes And. (b) de ſententia excomunicationis, ait, quod temerarius is dicitur, qui ſine juſta cauſa aliquid de prohibitis ſcienter facit, vel præcepta negligit, cùm facere poteſt. Car. (c) melius explicat, dum inquit: *Temeritas non ſapit dolum, vel malitiam, ſed veram fatuitatem*. Ea de re procul hæſitatione hoc eſt temerè operari, ſcilicèt ſine ullo rationabili motivo, ulla cauſa, ulla ratione, ulla experientia, ulla authoritate, ulliſque indiciis aptis mentem prudentium hominum ad operandum movere: & ideo diſcrepari actus humani, & actus hominis videntur; priores ideo tales appellantur, quatenus prævia ratione, & fundamento eliguntur, poſteriores verò parùm a brutorum actibus diſcrepantes, utpotè a rationis dictamine haudquaquam directi: quamobrem temerè operari a præfato Doctore fatuitas appellatur; quoniam minimè, aut parum ab actibus hominis, ſeu brutorum diſſimilari valeant: idcirco Sanctus Thomas (d) ſic temeritatem deſcribit, *eam eſſe defectum conſilii, & ſpeciem impudentiæ*: & meritò, cum ſtultus conſilio expers quodpiam gerat, temerè, & imprudenter, ſeu ſine rationabili fundamento operatur.

II. Jure unanimiter Doctores, ſive Theologi, puta Suarez, Vaſquez, de Lugo, Valentia, Layman, Sotus, Scotus, Divus Thomas loco citato, cæterique omnes inſtruunt, proximum noſtrum in ejus geſtis judicare per judicium merè temerarium, & imprudens, ideſt non ſufficientibus indiciis, atque motivis innixum, prorſus non eſſe abſque peccati labe. Et hoc quare? quia homines nullatenus operantur, uti

(a) *Lib.1.*
(b) *In cap.1.*
(c) *In Cle.1.§.ſi quis, de ſtatu Mon.*
(d) *2.2.quæſt.35.art.25.*

uti dictamen ipſum rationis expoſcit; nempe rationibus, & motivis aptis mentem hominum prudentum ſuadere, uti oportet.

III. Quapropter adhuc in ſacra Scriptura temeritas hæc morte plectitur, ut in l.2. Regum (*a*) apertè exprimatur: *Iratuſque eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate*. Et in Eccleſiaſtico(*b*) ubi hæc leguntur: *Terribilis eſt in civitate ſua homo linguoſus, & temerarius in verbo ſuo odibilis erit*. Imò in Eccleſiaſte (*c*) claris notis temerè loqui expungitur: *Ne temere quid loquaris, neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Domino*. Itaque a primo ad ultimum temerè operari non ſolum fatuitatis, ſed quoque defectus conſilii, ſpeciei imprudentiæ, atque culpæ non levem labem declinare minimè cernitur. His poſitis.

IV. Hinc gradum faciam ad attentè intuendum, ſi divinatores noſtri pro excogitandis futuris contingentibus cabalas obſervent, eaſque ſumma eorum induſtria interpretentur, vel conficiant, operenturne temerè, ut verè temerarii appellari poſſint?

Semota quavis ſcrupuloſitate aſſeritur, utique eos temerè operari; ideoque veros eſſe temerarios, cabalas ſic exiſtimatas perpendere: & hoc ex evidenti hac ratione oſtenditur. Etenim qui nulli fundamento, dum operatur, nititur, temerè operari appellatur; uti ex dictis jam liquet: Divinatores autem noſtri, dùm cabalas explorant, illas eſſe verè cabalas prorſus ignorant; cum nulli de re hac fundamento, aut rationi aptæ innitantur, nec niti poſſint; quandoquidem, vel de cabala bona, vel mala loquamur, ſemper ipſos Divinatores cabalarum, quas animadvertunt, inſcios eſſe ſequitur: (hic ego non Divinantes ignaros alloquor; cum hujuſmodi quodammodo more pecudum operantur, & ab eorum, qui docti exiſtimantur, exemplo trahuntur; quinimo iſtis ad prudenter operandum in rebus non tàm evidenter peccaminoſis Doctorum exemplum atque authoritas ſufficiens eſſe videtur: ſed doctos dumtaxat alloquor): etenim, ſi de bona cabala loquamur, ex præcedentibus capitibus jam certum eſt, illam ſui naturam eſſe ordinatam ad ſciendum legis ſcriptæ verum ſenſum myſticum, quem nos anagogicum nominamus, cabaliſticum vero Hebræi appellant; quo ſicut nos myſteria ſupernaturalia ſcrutamur, & ex temporalibus atque terreſtribus ad cœleſtia & ſpiritualia elevamur, ita & He-

(a) *Cap.6. ver.7.*
(b) *Cap.9. verſ.25.*
(c) *Cap.5.*

Hebræi per hujuſmodi eorum cabalam ſortiebantur, uti ſupra expoſitum eſt.

Luculenter igitur eſt inferendũ, bonam cabalam Hebræorũ ad futura temporalia,& præſertim merè contingentia, atque indifferentia ſcrutanda, haudquaquã ordinatam eſſe; quemadmodum & ipſi Divinatores fateri tenentur; & ſi oppoſitum ſubſtinere velint, unde hoc habent? ex quo textu? ex quibus ſanæ mentis Doctoribus? ex qua ratione ſuadetur? certè & indubitanter nulla: itaque temerè operantur, & hoc pacto temeritatis notam declinare minimè valent; ſiquidem in præcedentibus capitibus non ſolum Doctores noſtros catholicos plena fide dignos, ſed tot etiam Doctores Hebræos, & proprie Rabinos perduxi, qui eodem ſenſu cabalam intelligendam eſſe fatentur. Quomodo ergo cabalis uti, ad perſcrutanda futura contingentia, audent? eorum ſimul impudentiam, fatuitatem, atque maximam temeritatem ſummopere miror! Quis eſt hic cabalarum Author? & quod magis ridiculum eſt, *cæteræ cabalæ ab ipſis nominantur, Caboloni*: Quæſo, quis riſum compeſcere valeat? obſervantur hujuſmodi inepti noctu diuque fruſtra tempus terere, & peculiari animadverſione ad illas ſcrutandas morari, cum eas eſſe veras prorſus ignorent. Et ſanè cabalarum harum Authores, ſeu confectores Hebræi, Rabini eorum legis, eſſe nequeunt; quoniam hi niſi ſuos cabaliſticos libros corrumpere, & adulterari velint, profecto non conficiunt; quos libros nimirùm in maxima veneratione, earumque doctrinas poſſidere ipſi gloriantur, eaſque adulterari ſaltem ſuæ religionis intuitu nequaquam verendum eſt. Fortè illarum Authores homines ſuperſtitioſi, & Magi, aut noſtri Chriſtiani fuerint? & neutri utique ſciant, quid efficiunt, & ſi ejus ſint conſcii, proximos decipere turpis lucri gratia intendunt.

V. Attende, Lector mi, & cohibe riſum, ſi potes: meus quidam amicus intuendi gratia, ſi hujuſmodi Divinatores cabalas obſervantes, aliquo ſigno atque indicio pollerent, quibus fictas, & apocriphas cabalas ſine ullis regulis factas a non talibus (quæ tales, ſcilicet uti bonæ prorſus ſomniantur reſpectivè ad ſcienda futura, ut dictum eſt) diſcriminarent, plures confecit cabalas; ſic penes iſtos nuncupatas, eaſque tum latino idiomate, tum italico confectas pluribus Divinatoribus ſcrutandas tradidit; Qui utpote eas exſtremis nationibus perventas in nimia veneratione habebant, & non modico eorum labore noctu diuque obſervarunt, eaſque interpretando inſudarunt; ſuper

non-

nonnullos autem eorum sors fausta cecidit: nec tamen illæ veræ cabalæ fuerunt. Et sic cæteri, ad seipsos, & proximos illudendos, cabalas hasce efficiunt.

VI. Vel demum hujusmodi cabalarum copiæ, quæ assiduè observantur, scientiam a dæmone sectatoribus suis traditam complectuntur (quam malam cabalam vulgus appellat) & hæc maxima ineptitudo, atque fatuitas nominatur; quoniam dæmonem futurorum contingentium prorsus inscium esse, fides divina docet, uti (a) apertè videbitur. Vel scientiam traditam, & inventam ab hominibus comprehendunt; & adhuc ipsa maxima fatuitas esse ostenditur: enim verò dæmon hominibus sapientior præfata futura penitùs ignorat, ut assertum patet; quanto fortius homo. Itaque a primo ad ultimum revera, sine fundamento operantur; ideoque temerè hasce cabalas explanandas arripiunt.

VII. Neque dicas, Divinatores, cabalæ medio, interdum eventu comprobatos esse. Nam ex hoc, cabalas observandas esse, utpotè veras cabalas nullo modo sequi intelligitur. Tum quia hoc propriè accidenti, atque casualitati referendum est: etenim, sicuti nuper protuli, ex ipsis fictis cabalis, quas præfatus amicus exaravit, & familiaribus suis præbuit, nonnullique sui voti compotes facti fuerunt; adeout pluries ab ipso cabalas deinde flagitaverint, unde quæro felix eventus hic? fortè ex illis cabalis? somnias, si hoc tantum excogitare audeas. Nemo namque dat, quo ipse caret, ex juris nostri civilis regula, nemo plus juris in alterum transferre potest, quàm ipse habet: itaque si ille futura præsertim indifferentia, atque contingentia noscendi, omnino est expers, quomodo valebit in alterum transferre, cabalisque illis tribuere? & tamen quidam ex illis faustam sortem sortiti fuere: quare meritò casualitati, atque accidenti adscribendum videtur. Secundò nonne multi sola sorte utuntur, & ipsis ea arridet? unde hoc, fortè ex aliqua regula? haudquaquam, sed dumtaxat casualitati, atque sorti tribuendum expedit. Et tertiò in tot tantosque homines cabalas observantes, casualitatem necessariò admitti fas est, ut quidam eorum sortem habeat: & tamen non perinde regulæ sunt fingendæ, quibus hujusmodi victoriæ casualitas frustra adscribatur.

VIII. Collige ex dictis, hujusmodi cabalas omnes, quibus nostri Divinatores utuntur, cujuscumque generis sint, sive ex quacumque manu

(a) *In tract. 3. de cacodæmonibus.*

manu cujusvis Doctoris, sive natione pervenisse; quovis idiomate, sive italico, sive latino, sive græco, sive hebraico confectas, omnes esse frustraneas nugas, fallaces, ineptas, & temeritatis notam afferentes, nemo ex dictis lectis hæsitare potest; quinimò prorsus, & unicè effectas decipiendi causa proximos, uti evidens apparet: earumque verò observatores non solùm se ineptos & fatuos, sed verè temerarios ostendunt, ob rationes nuper relatas; ubi quid vera cabala importet, jam apertè enucleatum fuit. Quare Bened. Pererius (a) ait, *Adeo inerudita, imsulsa, & ridicula hæc cabalistarum est opinio, ut nihil æquè mirum sit, quam ulli hominum sanæ mentis aliquando eam probari, & persuaderi potuisse. Sed ita est profectò, sunt ingeniorum similiter, ut hominum monstra quædam, & portenta, a quibus ejusmodi opinionum commenta, & deliramenta proficiscuntur.* Quamobrem o utinam & hujusmodi scrutatorum cabalarum temeritas pœna aliqua coerceretur; quemadmodum jus Romanorum pro temere litigantibus eam meritò statuit, uti patet (*b*) de pœna temerè litigantium; fortè timore ducti a cabalarum scrutatione declinarent. Lector mi, noli ad sciendum satagere, an hujusmodi cabalas scrutantes peccent, & quo peccato, cum in sebto capite de re hac fusior expositus fuerit sermo.

(a) *Lib.*1. *de Magia cap.*10.
(b) *In l. eum quem temere, ff. de jud. & lib.*4. *instit ut. tit.*16.

CAP. V.

Eliminatur falsa opinio eorum asserentium cabalas numerales, pro notione futurorum contingentium obtinenda, mirè aptas esse.

SYNOPSIS.

I. *Non verentur Divinatores asserere, quemlibet numerum suum habere significatum, ordinatum ad scrutanda futura contingentia.*

II. *Nullum naturale, sive scientificum medium est aptum ad futura prædicta scienda.*

III. *Quid sit significare, & quotuplex, exponitur.*

IV. *Omnes & singulos numeros ex primario institutos esse a comuni hominum usurpatione ad significandam unitatem, vel multiplicitatem rerum.*

V. *Divinatores quoque inquiunt, numeros secundariò pollere quibusdam occultis activitatibus naturalibus, quibus præfata futura agnoscuntur.*

VI. *Et quod numeri habent hujusmodi activitates naturales, hoc authoritate multorum Doctorum Catholicorum comprobare conantur; sicuti ex non servato ordine in disponendis Psalmis secundum Historiam, quoque suadere nituntur.*

VII. *Divus Hieronymus, infaustum esse numerum vigesimum, necnon malum esse numerum binarium, asserit.*

VIII. *Pariter numerum quadragenarium, occulta proprietate pollere, Divinatores volunt.*

IX. *Numerus quoque quinquagenarius, binarius, ternarius eandem occultam virtutem habent.*

X. *Eandem virtutem habent numerus novenarius, denarius, & duodenarius.*

XI. *Insuper numerus quaternarius, senarius, septenarius activitatem quandam naturalem possident, quia sicuti in mensura, & pondere, ita in numero Deus omnia posuit.*

XII. *Consequens, quod ex dictis Divinatores inferunt, uti penitus fal-*

falsum, & indignum respuitur.

XIII. *Quoniam in quovis sensu Scriptura usurpatur, semper nostram salutem intendere videtur.*

XIV. *Supra relati Doctores præfatorum numerorum virtutes naturales ad merè curiositatem, easque respuendas observarunt,*

XV. *Quomodo explicatur a sacris interpretibus locus ille Scripturæ, Omnia in mensura, numero, & pondere Deus posuit, exponitur.*

XVI. *Nullum numerum sive ex dictis, sive alios hac naturali virtute gaudere firmiter statuitur.*

XVII. *Effectus ex computatione, atque multiplicatione numerorum non est naturalis, sed artis, seu scientiæ Arithmeticæ.*

XVIII. *Iterum exponitur, quomodo intelligitur textus ille Sacræ Scripturæ sapientiæ 11.*

XIX. *Apertè apparet, Deum in sensu, quo loquor, non fuisse inventorem numerorum, quemadmodum quorundam nominum fuisse inventorem.*

XX. *Et adhuc si trasmittere velimus, Deum immediatè fuisse numerorum inventorem; nec etiam constat, ipsum illis numeris virtutem naturalem impertitum fuisse.*

XXI. *Ex prædicta numerorum combinatione, sive cabala numerali neque dæmon, neque homo futurorum contingentium notionem eruere potest.*

I. NOn erubescunt aliqui, dum cum maxima eorum impudentia strepitant, perperam asserendo, quemlibet numerum suum habere significatum; idcirco ex numerorum multiplicatione multa oriri specimina. Quare numerales cabalæ ideò tales appellantur, quatenùs hujusmodi ex computatione, & calculatione eorundem numerorum emanare aspiciuntur; ex quibus pariter multa non solum ipsi ominantur, sed etiam significata produnt, quæ utplurimùm ab ominatoribus nostris ad futura vaticinanda inscitè ordinantur.

II. Tamen hujusmodi prorsùs falluntur, dum significata præfatorum numerorum ad eadem scienda futura dirigi perperam existimant. Quandoquidem nullum naturale, aut scientificum medium in præsenti providentia assignari valeat, quo futura contingentia, atque indifferen-

ferentia noſci poſſint; cum, uti alibi ſcriptum liquet, ſcientiam hanc penitùs Dominus Deus ſibi tantùm reſervaverit. Nihilominùs renuere non audeo quemlibet numerum ſuo pollere ſignificato; dumtaxat autem erit ſciendum, quid ſignificet, & quomodo ſignificet: ideo hoc detegendum clara methodo arripiam.

III. Quapropter præmittendum puto, quod ſignificare, ſeu eſſe ſignum alterius, eſt quod potentiæ cognoſcitivæ aliud a ſe repræſentat, ſeu indicat, in cujus notionem nos ducit, juxta documentum Divi Aurelii Auguſtini (a) *res præter ſpeciem, quam ſenſibus ingerit, aliquid aliud ex ſe faciens in cognitionem venire*. Duplicis autem generis hoc ſignificare, ſeu alterius rei ſignum diſtingui ſolet: alterum naturale, ſive phyſicum; alterum ad placitum, ſive arbitrarium. Primum dicitur illud, quod præter ſe ipſum, nobis quod ingerit, in alterius agnitionem nos ducit, cum quo tamen naturalem habet connexionem; uti cauſa cum ſuo effectu: adeout independenter a quovis hominis beneplacito, ſui natura illud æquè penes omnes nationes ſignificet: etenim rerum naturæ prorſus immutabiles agnoſcuntur; & quemadmodum a nobis hic cernuntur, æquè & ab omnibus ſanæ mentis alibi obſervantur: puta celebre illud exemplum comuniter a Philoſophis adductum, nempe furnus penes omnes nationes ignem ſignificans, utpote naturalem connexionem cum eodem igne obtinet, tanquam illius naturalis effectus. Oppoſitum de poſteriori aſſerere expedit, quod licèt præter ſe ipſum, quod inſpicitur, in alterius notitiam nos ferat; cum quo tamen nullam naturalem connexionem tenet, ſed dumtaxat illud exprimit ex hominum arbitrio, ſeu beneplacito: uti ſunt in ludo lapilli, qui ibi ponuntur ad pecuniam inde victam indicandam; vel hedera ad fores appenſa venale vinum denotat. Hujuſmodi autem ſigna, lapilli, & hedera, connexione naturali cum rebus illis, quas connotant, penitus carent: idcircò ſigna illa variari poſſunt, & altera pro illis ad idem indicandum poni; & cum nil tam variabile, & mutabile ſit, quàm humanum arbitrium, uti legitur penes Job (b), *& numquam in eodem ſtatu permanet*; ſequitur rectè, præfatum arbitrarium ſignum tantùm penes ejus inventores, non verò penes omnes gentes idem exprimere.

Quod autem eſt hic advertendum præter dicta enucleata ſigna, nul-

(a) *Lib.2. de doctrina chriſtiana n.1.* (b) *Cap.14. alias cap.1.*

nullum aliud ſignum ab illis eſſentialiter diſtinctum eſt excogitandum: quandoquidem quodlibet aliud ſive ſpeculativum, ſive practicum, ſive prognoſticum, ſive commemorativum ſignum, vel quovis alio nomine ſit appellatum, a præfatis dumtaxat accidentaliter diſtingui videtur; cum quodpiam iſtorum in ſubſtantia, vel naturale, vel arbitrarium ſit, uti attendenti conſtat.

Eſt pariter notandum, quod hoc nomen, numerus, collectionem unitatum importat; unde benè docetur a nonnullis penes Ariſtot. (a) unitatem non eſſe numerum, ſed numeri principium: & licèt multifariam quoque alteram acceptionem numerus contineat, uti penes eoſdem eruditos de numerorum myſteriis agentes conſtet; tamen hic dumtaxat de iis, quæ numerari, & menſurari poſſunt, dicatur juxta Juvenalis acceptionem Satyra 13. verſ.26.

Rari quippe boni: numero vix eſt totidem, quot
Thebarum portæ vel divitis oſtia Nili.

Quare hujuſmodi numeri, characteres, ſive ſigna, ſive quovis alio nomine nuncupentur, non æquè penes Nationes notantur, vim diverſimodè ab Hebræis, a Græcis, a Latinis, aliiſque Gentibus exarantur; quibus tamen omnes iſti homines ſapientes ad exprimendum rerum unitates, earumque multiplicitates, atque nomina ſive hominum, aliorumve entium uti ſolent. His dictis.

IV. Aſſero quippè omnes, & ſingulos numeros atque caracteres a publica hominum uſurpatione ad aliquid exprimendum, ſcilicet unitatem, vel multiplicitatem rerum, inſtitutos eſſe; ideoque eorum ſignificatum eſt merè arbitrarium, ideſt ex mera hominum voluntate dependens. Hæc autem aſſertio conſtat: nam quemadmodum voces ad exprimendos conceptus noſtræ mentis, eorum ſignificativæ, ordinantur; ita & numeri, ſive characteres: atqui voces ſignificativæ ad placitum, & non naturaliter res, quas exprimunt, ſignificant; quoniam nullam naturalem connexionem cum ipſis rebus tenent: ut benè probat Divus Auguſt. (b) adverſus Stoicos, arbitrantes rationem ſignificationis vocum eſſe affinitatem ſoni cum re ſignificata, non verò purum hominum beneplacitum, & ſic intelligitur Spec. (c) ubi docet: *Nominibus vis non eſt ſecundùm canones.* Sicut & Antonius Goudin in ſua dialectica ait, *unde adæquata ratio ſignificationis vocum eſt homi-*

(a) *Lib.4. cap.6. Metaph.*
(b) *lib. dialect.*
(c) *In tit. de his, qui alien. nom. in jud. interv. in fine.*

hominum institutio, qui a suo magistro S. Thoma (*a*) didicit. Idem docuit Joannes Frommann de Fascin. (*b*) ubi, *realem*, inquit, *quidem virtutem multa nomina significant, & indicant, sed quod significant, & signant, in se non habent, nec à rebus eam suscipere, neque res nominibus comunicare possunt: ut conceptus, cujus verba cujuscumque idiomatis sunt indices, ejus rei, quam concipimus, propter conceptum, & imaginationem non accipiunt qualitates: ita nec Hebraica nomina ejus rei, a cujus natura sunt formata propter formationem, & repræsentationem accipiunt virtutem realem, nec quà talia, ejus esse capacia, ratione probavit ullus*. Et in §.v. *an non hinc aptè colligere licet, verba non in se, sed ab intellectu habere virtutem, ea autem carere ab oscitante, vel non intelligente proferantur*. Idem igitur est dicendum de numeris, & characteribus nullam naturalem connexionem habentibus cum suis significatis. Et sanè si voces significativæ, characteres, & numeri naturaliter res, quas exprimunt, significarent, idem omnino penès omnes gentes significare deberent; ex quo naturale signum, uti dictum est, ratione connexionis naturalis, quam habet cum re significata, idem apud omnes æque significatum retinet: hoc autem falsum proculdubio est, ut patet ex tanta idiomatum diversitate. Nam audita Anglica, sive Germanica locutione ab Italis, utique ejus notio illis minimè occurrit. Eodem pacto de numeris affirmare necesse est: etenim nos ad exprimendam unitatem, dualitatem vel trinitatem rerum, & sic de reliquis, istis numeris, puta 1, 2, 3, uti solemus; apud alias verò nationes non ita usurpatur: enim verò Romani aliis characteribus utuntur; aliis diversè Græci, aliisque Hebræi, & sic de singulis aliis exteris nationibus est asserendum: adeout omnes hujusmodi secundùm suas ad placitum, seu arbitrarias acceptiones, diversa numerorum, characterumque signa ad idem significandum excogitarunt. Itaque ex dictis liberè inferre possumus, characteres, sive numeros, sive quodlibet aliud signum ab hominibus inventum, non naturaliter, sed prorsus ad placitum significare res, quas exprimunt.

Monendus tamen est lector totius hucusque relati, quatenus ab hominibus numeros, characteres, aliaque signa ad aliquid ad eorum placitum exprimendum excogitata fuisse, quibus conceptus nostræ mentis alteris hominibus, ad fovendum commercium humanum, par-

(a) 1. *perier. l.2.* (b) *Lib.1. par.2. sect.2. cap.18. §.1.*

participes fieri potuissent; idcirco dicimus, voces, ut sint significativæ, a publica hominum impositione inveniri debent: aliàs dumtaxat inventori, & non cæteris hominibus innotescerent; & sic humanum commercium foveri impossibile erit, uti sapienter docet Angelicus Doctor (*a*) ubi adhuc rationem assignare videtur, *cur homo vocibus utatur; quia cum sit animal sociabile, omnis autem societas communicatione perficiatur, necesse fuit, ut homo alteri conceptus suos, qui sunt bona, & fructus rationis, communicaret; quod cum fieri nequeat per directionem conceptuum, uti in Angelis, fieri debuit per quadam signa sensibilia vocalia: unde homines suos conceptus, & rerum notiones alligaverunt vocibus, ut aliis manifestarent*. His positis.

Nemo in dubium veritatem hanc revocare potest, nisi in lucem Solis cæcutire velit, nempe si hujusmodi inventionem numerorum, aliorumque dictorum ab hominibus procedere; haudquaquam dicendum est numerales cabalas, aliaque posse esse media apta ad futura indifferentia, seu contingentia scrutanda. Quandoquidem concipi nequit, hominem valere talia media excogitare, pro cujus modi finis assequutione, qui prorsus extra limites, & circumferentias terminatæ suæ vis, & agnitionis collocatus videtur, uti scientia illa futurorum præfatorum nominatur, cum unicè propriève solius Dei sit, uti pluries supra assertum conspicitur, magisque in tract. (*b*) ubi esse de fide liquebit.

V. Hinc Divinatorum impudentia pro suis tuendis ineptiis, temeritate, atque fatuitate, perperam inquit, præfatos numeros, atque caracteres præter illam propriam, quam ex publica hominum inventione acceptionem usurparunt, quasdam peculiares activitates naturales ad invicem distinctas continere: ex quibus agnitis facile est colligere fututorum contingentium notionem, quorum naturales illas activitates, atque virtutes, utpote eorum effectuum, uti veras causas Divinatores agnoscere asserunt.

VI. Et hoc ut verum appareat, Rabanus insignis elapsæ tempestatis Doctor, de numerorum virtutibus specialem librum composuit; imò hoc traditum invenies penes Sanctos Patres, puta Basilium, Nanzianzenum, Ambrosium, Augustinum, Origenem, & præcipuè Hilarium, qui in suo commento super Psalmos causam inquirit, cur Psalmorum ordo non sit secundùm Historiam, sed sæpe psalmus, qui prius fuit compositus, posterior in ordine collocatur: sic inquit: *Non*

est

(a) *Loco cit.* (b) *tract. 3.*

est autem ignorandum, indiscretum apud Hebræos esse numerum psalmorum, & sine ordinis annotatione esse conscriptos: non enim illic primus, aut secundus, aut tertius, aut quinquagesimus, aut centesimus prænotantur, sed sine præscriptione aliqua ordinis in unum permixti sunt. Esdras enim, ut antiquæ traditiones ferunt, incompositos eos, & pro authorum, ac temporum diversitate dispersos, in volumen unum collegit, & retulit: Sed septuaginta seniores secundùm Moysi traditionem ad custodiam legis, atque doctrinæ in Synagoga manentes, posteaqnam illis a Rege Ptolomæo transferendæ ex hebræo in græcum sermonem, totius legis cura mandata est, spiritali, & cælesti scientia virtutes psalmorum intelligentes, in numerum eos atque ordinem redegerunt, singulis quibuscumque numeris pro efficientia sua, & absolutione perfectis perfectorum, & efficientium psalmorum ordine deputantes. Ex quibus Hilarii verbis apertissimè patet, quod numerus virtutem, & efficientiam continet.

VII. Et ideo Sanctus Hieronymus contra Jovinianum asserit, *infaustum esse numerum vigesimnm, in quo Jacob servivit, & venditus est Joseph*; & in eodem *lib.* (*a*) dicit, quod ideo in secunda die non fuit dictum in principio Genesis & *vidit Deus, quod esset bonum*, sicuti in cæteris Mundi creationis diebus; quia binarius numerus malus est; quinimò ex binariò numero cõtra bigamos argumentũ sumitur: & quoque propter hoc omnia animalia immunda in arcam Noe bina ingredi; septena vero, quæ munda fuerunt, poni Deus jussisset.

VIII. Quemadmodũ non sine mysterio, sed propter occultam etiã ipsius numeri quadragesimi proprietatem esse volunt Patres, quod per quadraginta dies Moyses, per quadraginta dies Helias, per quadraginta Christus Dominus jejunaverint; & pariter per quadraginta dies post Resurrectionem suam ascendit; & per quadraginta horas fuerit apud inferos. Sicut post quadraginta dies Ninive subvertetur; & per totidem dies quadraginta noctesque super terram pluit, uti ex sacro eloquio constat.

IX. Quoque in numero quinquagenario propter occultam suam virtutem descenderit Spiritus Sanctus; in eodemque numero psalmus, *Miserere mei Deus*, positus fuerit. Itidem in numero binario, ob occultam quippe suam virtutem, duo testamenta, duo Cherubim circa arcam, duo charitatis præcepta, duæ primæ digni-

tates,

(a) *Cap.* 7.

tates, duo primi populi positi cernuntur. Pariformiter in ternario numero, ob suam adhuc occultam virtutem, triduum sepulchri Christi Domini, tres Theologicæ virtutes, tria tempora naturæ, legis, & gratiæ, tres Divinæ Personæ in unitate naturæ adscribuntur.

X. Insuper duodenarius numerus ob suam aliquam virtutem occultam in duodecim tribubus Israel, in duodecim Apostolis, in duodecim lapidibus cœlestis Jerusalem, ordinatus agnoscitur. Adhuc non sine causa, neque casu credimus in denario numero constituta esse decem præcepta legis decalogi, decem chordas Psalterii, decem dies, quibus post Ascensum Christi Domini Sanctus Spiritus descendit, & decem in templo cortinas. Quanta quoque in numero novenario observamus, scilicet novem Angelorum Hierarchias, novem beatitudinum gradus, Dominus hora nona exclamavit.

XI. Adhuc in quaternario numero ob suam virtutem quatuor Evangelia, quatuor Paradisi terrestris flumina, quatuor animalia Ezechielis considerantur. Etiam in numero senario ob suam activitatem, sex dies Creationis Mundi, sex ætates ejusdem Mundi, sive septima est futura vita, sive quia feria sexta Dominus passus est, attenduntur. Similiter in numero septenario ob suam virtutem notatur, quod die septima Dominus quievit, septem dona Sancti Spiritus, & in Apocalipsi septem Signacula libri, septem Cornua, septem Oculi, septem Angeli, septem Ecclesiæ, septem Candelabra, septem Stellæ, septem Spiritus nequiores, & septies in die Deo canit David Propheta. Et Divus Hieron. in Amos Prophetam scribens, hujusmodi numerum septenarium Sanctum vocat. Hinc nota est traditio Domus, seu Scholæ Eliæ Rabini Judæorum, ut absque fundamento quidam volunt ex traditione Eliæ Thesbitis Prophetæ in septimo millenario à Mundi creatione, Mundus peribit, quæ his versibus est compræhensa:

Sic domus Eliæ docet, in sex millibus annis
Finis erit Mundi, credite, finis erit.
In vano duo millia sunt, duo millia legis,
Post duo Messiæ millia finis erit.

Ex quo hunc diem septimum etiam Gentes suis diis sacrum, & gratum esse censuerunt.

Homerus

Septenusque dies fuit, in quo cuncta peracta;

Callimachus

Omnia septenaque die perfecta fuere.

Orpheus antiquissimus Poeta ita de Apolline canit:

Ecce sagittifero pergrata est septima Phœbo.

Et sic de cæteris numeris est idem affirmandum: quoniam nihil casu, sed Deus per suam infinitam sapientiam, sicuti in pondere, & mensura, ita & in numero omnia disposuit, juxta illud Sapientiæ *cap.* 11. *vers.* 21. *Sed omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.* Itaque sic Divinatores ex dictis inferunt, proculdubio numeros omnes, præter proprium significatum eis a commune hominum acceptione datum, proprias suas naturales activitates, virtutes, seu proprietates includere, ex quibus futurorum contingentium, atque indifferentium facilis est notio; & consequenter meritò numerales Cabalæ penes omnes, quoad observationem, earumque effectionem, usum obtinuissent.

XII. Sed falluntur utique omnes, qui ita ratiocinantur: quoniam non est ex dictis inferendum hujusmodi consequens nefarium & indignum, uti a nostris Ominatoribus eruitur, utpote non solum recto rationis dictamini oppositum, imò ipsi Majestati Divini eloquii omninò dissonum videtur: quare ad summum ex hucusque ab illis relatis, aliud erui non potest, nisi ideo sacra Scriptura præfatis numeris usa est, non quatenus virtutem atque naturalem activitatem ipsorum numerorum sibi adhibere placuit (qua numeri ipsi penitùs carent) sed dumtaxat mysteria ipsa supernaturalia, aliaque secretiora spiritualia ad animarum salutem conducentia, nec non facta, atque beneficia humano generi collata memoriæ mandare & indicare sacra lectio voluit, ac proinde asserere; ideo prænotata gesta in prædictis numeris sacram Scripturam posuisse, unicè ad naturales activitates sive bonas, sive malignas relatorum numerorum exprimendas profectò nefarium est, a majestate sacri eloquii prorsùs alienum esse debet. Et in tali sensu relati Sancti Patres in præfatis sacræ paginæ locis sunt intelligendi, ubi nullatenus noxiam, aut innoxiam numerorum virtutem (quæ prorsus fingitur) sed factum in iis gestum contemplantur. Quinimò hoc eidem rectæ rationi adversatur: quandoquidem ob repugnantiam essentialem, nullum quippè reperiri posse Philosophum aut Doctorem, docentem dari causam aliquam naturalem duplici virtute, una alterius destructiva pollentem omnes sanæ mentis testantur. Quodque in casu nostro verificari videtur: etenim in sacra lectione passim

passim contingit, in uno eodemque numero fausta & infausta, bona & maligna notata reperiantur : sic in numero binario à Divinatoribus supra relato, quia pessima naturalis activitas atque qualitas continetur, ideo in secunda creationis die non fuerit dictum, *& vidit Deus, quod esset bonum*; ideò bina animalia immunda & non septena in Arcam Noe fuerint ingressa, & similia; & contra in eodem numero duæ primæ dignitates, duo Cherubim, duo Testamenta, duo Charitatis præcepta, & cætera relata leguntur; quæ quia bona censentur, non nisi faustam, atque bonam in eo esse naturalem qualitatem denotant. Et hæc est illa essentialis repugnantia, quæ rectæ rationi opponitur: & eodem pacto in reliquis numeris ratiocinium ex Scriptura desumitur.

XIII. Quamobrē quocūque sensu sacræ Scripturæ observato, semper iste animarum nostrarum saluti favet: sic si sensus ejus literalis attendatur, factū scilicet, quod est gestum à Deo sive immediatè, sive mediatè, ut modò amore, modo timore ei serviamus, nos docere videtur. Sic si ejusdem sensus moralis, atque a nonnullis tropologicus dictus arripiatur; hic quid gerere, quales operationes exercere, & quales animæ obnoxias aufugere, nos dirigere, dare percipitur. Si ipsiusmet sensus allegoricus intendatur; iste quid credere, quid profiteri, quam fidem infallibiliter servare tenemur, nos instruere videtur. Si demum illius sensus anagogicus attingatur; hujusmodi profectò æternam nostram beatitudinem, gloriam, atque beatorum consortium apertè nobis affatur: nec alter sensus ex dictis a comuniter ejus scripturæ interpetribus assignari observatur: itaque in quovis ex dictis sensu sacra pagina usurpatur, semper animarum nostrarum salus ultimatè & directè intenditur, easque ad aditum æternæ vitæ dirigendas prorsus ordinatur: ideoque quicquid præter præfatos ejusdem sacræ Scripturæ sensus intelligitur, semper alienum præsumitur, & sic prorsus expellendum esse, tanquam ab Ecclesia nunquam ita intellectum. Idcirco illud consequens inferri, indignum atque nefarium esse, meritò protuli, scilicet ideo sacra pagina numeros gestorum præscripsit, quia eorum naturali activitate atque virtute usa fuerit.

XIV. At si forte dicas, ipsas naturales virtutes eorumdem numerorum adhuc tot tantosque Doctores supra citatos observasse legitur, scias, ut benè observat Sapientissimus Picus Mirandulæ in supra citata Apologia, hanc observationem eos ob meram curiositatem ad-

hibuiffe. Quinimo ſpernendi, atque expugnendi gratia priſcos philoſophos, ſive Pythagoricos, ſive Stoicos, qui omnibus inſitam eſſe naturalem quandam virtutem, atque activitatem aſſerebant. Qua de re ait citatus Doctor, hoc aſſerere Catholicæ Fidei obeſſe videtur, ideo hanc opinionem uti hæreticam eſſe reiciendam. *Cum de hoc agatur*, ſic inquit, *utrum credere eſſe proprietates in numeris, & virtutes aliquas naturales, aliquo modo veritati fidei Catholicæ repugnet; quas cum videamus etiam, ut dixi, fortaſſe uſque ad curioſitatem a Catholicis Doctoribus obſervatas, nihil eſt amplius cur dubitemus, non eſſe talem opinionem pro hæretica rejiciendam.* Et meritò ſi attentè hucuſque relatum perpendatur, & licèt non pauci Scriptores ſolent numerorum qualitatem, ac ſingularem eorundem naturalem virtutem enixè inſpicere, multaque ex iis arcana, atque myſteria eruere conentur; tamen hos omnes Scriptores maximè ridet, atque uti curioſitate affectos excuſat Sanctus Chryſoſtomus (a) *Neque enim obſervatio*, ſic ſapientiſſimè, inquit, *ſed intempeſtiva hominum curioſitas talia fingere molitur.*

XV. Idcircò nullatenus noſtræ aſſertæ doctrinæ citatus ſacræ paginæ Textus (b) *Omnia diſpoſuiſti in numero, pondere, & menſura*, officere videtur: quandoquidem illum licèt Sancti Patres variè interpretati fuerint, nihilominus nunquam aſſerentibus numeros habere qualitates, & virtutes naturales adſtipulati leguntur. Cæterùm uti obſervatur penes Cornelium a lapide in Commentariis prædicti textus, quod ibi ſapientia, ad oſtendendam paternam providentiam erga Hæbreos, docet, Deum per viles beſtias, ranas, muſcas, & cætera, Ægyptios puniviſſe; & ad oſtendendam miram Dei clementiam, qui cum ſua omnipotentia ſolo nutu Ægyptios annihilare potuiſſet, immodicè tamen per exilia & vilia animalia eos caſtigavit, ut ad pœnitentiam converterentur, & veniam impetrarent; ideoque meritò, inquit, omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuit.

Præterea Sanctus Auguſtinus (c) hæc tria ipſi Deo applicat, per eaque accipit ideas divinas, ſecundùm quas omnia juſtè aptèque fecit & diſpoſuit: & ideo in Dialogo (d) hiſce notis loquitur: *Numerus, & menſura, & pondus ipſe Deus eſt. Ipſe eſt numerus*

ſine

(a) *Homil. 24. in Gen.*
(b) *Sapientiæ Cap. 11.*
(c) *Lib. 4. de Geneſ. ad literam, cap. 3. 4. 5.*
(d) *Quæſt. ad Oroſ. quæſt. 39.*

sine numero, a quo est omnis numerus: ipse est mensura sine mensura, a quo est omnis mensura: ipse est pondus sine pondere, a quo est omne pondus: omnia ergo in numero, & mensura, & pondere disposuit tanquam si diceret, omnia in se disposuit. Idemque Augustinus, aut quisquis sit Author libri sententiarum unius & viginti (*a*) mensuram attribuit Patri, numerum Filio, qui est numero secunda persona, pondus Spiritui Sancto, qui & amor dicitur. Sanctus Bonaventura per mensuram sumit Clementiam Spiritus Sancti omnia conservantis, per numerum Sapientiam Filii ordinandis, per pondus Potentiam Patris operantis. Divus Bernardus (*b*) ubi asserit, *Deum in hac vita omnia disposuisse in mensura, numero, & pondere; in futura verò sine mensura, numero, & pondere, quia ibi omne bonum nostrum erit Deus*. Author autem Hypognosticon apud Aug. (*c*) per mensuram accipit rei qualitatem, per numerum quantitatem, per pondus rationem peræquatam. Cæterosque verò Sanctos Patres, ac sacros Intepretes penes citatum Cornelium legere poteris; ibique tamen de hujusmodi naturali numerorum virtute verbum nullum prolatum penitùs reperias. Et quamquam ex relatorum Patrum expositione quodammodo numeros aliquid significare inferri possit, tamen attentè eos legenti hujusmodi naturalis significatio haudquaquam occurrit. At si numeros materialiter sumere velimus, scilicet ex parte rei, seu materiæ numeratæ (ut non solum interdum relati Interpretes, sed quoque cæteri ita suscipiunt) utiqne eos significare libenter asserimus, quatenus sunt ipsæmet res numeratæ hujusmodi significato pollentes, uti Horatius cecinit:

Nos numerus sumus, & fruges consumere nati.

Quod cum re, de qua agitur, nullam penitùs cognationem habet: quandoquidē sermocinatio nostra versatur circa numerum formaliter sumptum; idest numerus absolutè, & secundum se consideratus, profectò sic usurpatus quavis naturali virtute, quovis significato, excepto illo ex hominum arbitrio pendente, omninò privatur, ut bene Joannes Fromman in tract. de Fascin. (*d*) docet, *nulla numeri numerantis seu abstracti est efficacia relatis, cum non sit principium agendi vel quod, vel quo*. & paulò post, *naturali virtute numerus penitus caret. Numero tamen numerato quoad majus, & minus specta-*

to

(a) *Cap.* 18.
(b) *Serm.* 1. *de Septuag.*
(c) *Tom.* 7. *lib.* 6. *cap.* 4.
(d) *Lib.* 1. *p.* 2. *sect.* 3. *cap.* 4. § 8.

to, vires non denegamus; legio enim plus, quam cohors efficit.

XVI. Et ſanè duo entium creatorum genera habentur, ſpirituale unum, & materiale atque temporale alterum; quippe hujuſmodi numeri de genere ſpirituali eſſe nequeunt; quia Angelos, vel rationales Animas eos appellari, erroneum & abſurdum eſt: igitur alteri generi adſcribi deberent; idcircò utpote naturales cauſæ effectum ab earum eſſe, & diſtinctum, & ſimile naturæ gignere tenerentur, cùm hoc importet cauſa effectiva phyſica univoca, *ad cujus eſſe ſequi aliud ſimile*. Notio autem cujuſdam contingentis futuri nullatenùs effectus cauſæ naturalis nominari poteſt, cum ſit dumtaxat divinæ ſcientiæ unicè actus. Quinimo ſi numerus aliqua naturali activitate præter illud ſignificatum ad placitum ab hominum uſurpatione inventum polleret; utique tanquam cauſa naturalis naturalem quoque effectum habentem eſſe ab illo numero uti cauſæ diſtinctum, quandoque gignere deberet, ad effectum ut hujuſmodi virtus ad actum ſuum reducatur, ne prorsùs fruſtranea appellaretur, juxta philoſophicum affatum, *Fruſtranea eſt in natura illa virtus, quæ nunquam ad actum ſuum reducitur*. Intueamur igitur, qualem naturalem effectum numeri unquam produxerint? profectò prorſus nullum: itaque hæc numerorum naturalis virtus omninò ſomniatur. Quinimo de numeris idem argumentum affirmo, quod affabrè de nominibus conficiunt Delrio (*a*) & ex eo Franciſcus Torreblanca (*b*) ac G. a Reies (*c*) *Quicquid Platonici dicunt, nomina ſunt, hominum arbitratu indita. Nomina quoque nec ſunt ſubſtantiæ corporeæ, aut ſpirituales, nec ſunt accidentia inhærentia ſubjecto; quare vitam in ſe habere non poſſunt: adveniunt quoque, ſeu induuntur rebus, quas ſignificant, atque denominant, extrinſecus planè: quare nec emanantes a rebus radii dicendi: multa quoque ſunt nomina nihil ſignificantia, multa quid aliud a rei natura ſignificantia: quin & ipſa illa, quæ naturam rei ſignificant (qualia putantur, quæ creaturis Adamus impoſuit) hæc nullum potuerunt a naturis rerum influxum recipere: quia res corporeæ naturaliter nihil efficere poſſunt in id, quod corporis expers eſt, ut ſunt omnia nomina.*

XVII. Neque dicas, numeros, quando combinantur, multiplicantur, trahuntur, & ſubtrahuntur, vel quovis modo computantur, eſſe-

(a) *Lib.1.de ma.cap.4.q.3.*
(b) *Dæmonolog. lib.1.cap.13.n.25.*
(c) *Quæſt.22.*

effectum suum tunc gignere. Nam effectus hujusmodi minimè amplius naturæ, sed arti adscribendus erit, scilicet non effectus naturalis illius activitatis, quam numeros fingunt habere, sed computationis, seu Arithmeticæ artis erit: meritò ergo nullum numerum naturalem hanc activitatem atque virtutem habere, sed tantùm illud significatum ad placitum ex hominum inventione erutum continere assero.

XVIII. Quamquam verum est, Deum uti agentem infinitè sapientem, omnia in numero, pondere, & mensura dispostuisse; quatenus quælibet entia creata, cernuntur simmetricè ordinata, & non confusè disposita: nam Deus cum sit sapientissimus & perfectissimus, sapienter & perfecte omnia condidit: unde meritò Scriptura ait, *Dei perfecta sunt opera*: quandoquidem exactè in toto admirabili creato quicquid ad operis perfectionem exposcitur, mirè observatur; nempè ordo partium, varitas, earumque integritas: quare Philosophi omnes hac veritate victi, in modum axiomatis illud ediderunt, *Deus & natura non desunt in necessariis, nec abundant superfluis*; ideoque quælibet Creatura ad suum determinatum finem a Deo ordinatur, nihilque fustrà creatum spectatur. Quinimo res omnes ita perfectas in earum essentia & integritate Deus creavit, ut nihil ipsis deficeret, aliàs primæ actioni creativæ ac Divinæ Sapientiæ aliquis defectus attribueretur, quod dici nequit: idcirco rectè dicitur, Deum omnia in numero, pondere, & mensura creasse.

XIX. Adde: vis intueri, assertum textum intelligi non debere, uti a Cabalistis nostris explanatum fuit: etenim numerorum inventor quippe Deus *in sensu, quo loquimur*, non fuit, sed ipse homo eorum scrutator, ut ex tanta idiomatum varietate patet; quatenus a dissimili natione diversimodè numeratur. Tanto magis quia nullibi numerorum Deum fuisse immediate inventorem pro certo colligitur, neque in sacra pagina apparet; quemadmodum sæpe ibi perpendimus, Deum hominibus quædam nomina imposuisse: puta Abraham dixit; *Noli amplius vocari Abram*. Sic quoque ejus uxori mutavit nomen. Jacob idem protulit, *Non ampliùs ita voceris, sed Israel*. Nec non quædam verba ex Christi Domini institutione, uti sunt omnes Sacramentorum nuperæ legis formæ, præter significatum ex hominum arbitrio sumptum, ad aliquid supernaturale exprimendum elevata fuisse de fide constat. Quodque tamen de præfatis numeris statutum non

reperitur. Itaque si homines ad placitum prædictos numeros excogitaverint, percontor, sitne possibile, homines activitatem naturalem atque virtutem eorum invento, cujus esse unicè ab intellectu dependet, & non a parte rei existit, præbere posse? somnias si affirmes, cum solus Deus naturæ sit author.

XX. At adhuc si Deus eos excogitasset, quando non constat infallibiliter & pro certo, eum eis naturalem activitatem atque virtutem impertitum fuisse (uti de facto in præsenti non constat, imo asserere hoc, est prorsus quid fictitium) libenter diceremus, eos adhibere ad significandum, quod revera penes omnes exprimunt, scilicet ipsam unionem rerum, vel gestorum; uti esset septenarius dies, qui sanctificatur ab Hebræis, & vocatur Sabaton, hoc est requies, quatenus in illo die ab omni penitùs opera servili Hebræi abstinent: & ideo sciscitor, quare Deus illis septenarium diem præcepit, fortè ob aliquam naturalem virtutem atque activitatem, quam numerus ille contineret? absit. Sed ut Judæi memores illius septimi diei, in quo Deus requievit a Mundi creatione, uti ex Genesi constat (a) *& septimo die requievit ab universo opere, quod patraverat,* semper proni fuissent ad ineptissimam priscorum philosophorum Aristotelis, aliorumque opinionem profligandam, qua isti æternitatem Mundo adferebant. Quemadmodum nos Christiani, & per hoc dictum, & ob aliud mysterium diem Dominicum pro Sabato, inter alia ut ab Hebræis discriminaremur, sanctificamus.

Si forte Adversarii ex hucusque relatis suasi nec etiam remanent, cum re vera Sanctos Patres, aliosque authores numeros excogitasse agnoscant; ab eisdem SS. Patribus ipsos suasos fieri summopere cupio, eis ostendendo, quare Patres, & authores præfatis numeris vacare voluere; referam igitur Coquæum (b) *Divi Augustini de Civitate Dei cap.*30. sic docentem, *Augustinus ex numeris ipsis in exponendis Sacræ Scripturæ locis multa mysteria investigat.* & lib. 2. (c) *numerorum imperitia multa facit, non intelligi translatè ac mysticè posita in scripturis.* & (d) *numeros in scripturis esse mysteriorum plenissimos.* Videndus est pariter Divus Gregorius (e) qui aliquot mysteria per numeros ex Sacra Scriptura colligit. Igitur Patres numeris

meris

(a) *Cap.* 2.
(b) *Ad lib.*11.
(c) *De Doctrina Christiana cap.*16.
(d) *Quæst.*152. *in Genes.*
(e) *Lib.*35.*moral.cap.*12.*&* 13.

meris usi sunt. ad quædam tantùm mysteria supernaturalia contemplanda: & hoc pacto Authores Catholici eosdem imitati sunt: sic Doctissimus Athanasius Kircherius in tract. de Arithmologia, sive de abditis numerorum Mysteriis, sic Rabanus insignis Ecclesiæ Doctor de numerorum virtutibus librum componens, quamplurima mysteria excogitat: sic Salmeron (*a*) insinuat sensum mysticum, quem solent in Scripturis sacris habere numeri: sic Pater Burgonovo contra Petrum Garsia plures conclusiones Cabalisticas ad sacram Scripturam intelligendam statuit: sic demum Picus Mirandulanus, aliique permulti de numeris agentes, semper ad mysteria in Scripturis latentia noscenda illis usi fuere; & nequaquam virtutes naturales, numerorum futura contigentia indicantes, excogitasse leguntur.

XXI. Colliges demùm, si nullus numerus prædicta naturali virtute gaudet, ut jam visum est; ideo, quovis modo combinarentur, aut computarentur, nequaquam futurum illud contingens, atque prorsus indifferens excogitari potest: etenim prædicta naturalis activitas numerorum vel a Deo, vel a Dæmone, vel ab homine promanare deberet: a Deo, non constat: ab homine, est somnium: a Dæmone, ubi apparet? itaque concludendum puto, esse omninò inutile & frustaneum, tot tantasque Cabalas ex numeris extractas explorare, quod est maximam vecordiam ostendere, nec non tempus frustra terere: idcircò virum docilem & Christianum, ut a tali observatione se abstineat, obsecror.

Tene tandem hoc monitum, si interdum numeralis cabalæ medio aliquid præteritum vel præsens panditur, semper time, ut plurimùm cooperante Diabolo panditur: quandoquidem Arithmetica ars, vel similis sui natura prædictum præteritum, vel præsens occultum detegendi virtute caret, uti omnes sanæ mentis, & morigeratæ Doctores sentiunt; idcircò si id sciatur, per superstionis viam diabolo cooperante noscitur. Omnesque verò regulas, quibus præfata ars computandi pollet, semper ad computandum inventas esse fatendum est: aliàs flagito a nostris perfectissimis Cabalistis, nec non ab Arithmeticis doctissimis, quare toto eorum studio & vi arithmeticæ artis futura in alienis exteris locis purificata, & a nobis non adhuc agnita, ipsa præ omnibus nosse curent? responsum non tenent. Diabolus autem illorum jam purificatorum licèt sit conscius; tamen hominibus illa ut-

N potè

(a) *Tom.*1.*prolegom.*20.

potè præjudicialia proximo, communicare ſicut cæteras rerum naturalium virtutes aliaſque res ei à Domino Deo prorsùs interdicitur, uti in tertio tractatu videbimus.

CAP. VI.

Pœnæ & peccata, quæ confectores & obſervatores Cabalarum ſubeunt, aperiuntur.

SYNOPSIS.

I. *Hic de bona Cabala non eſt ſermo, quæ quid ſignificet, jam ſupra liquet.*

II. *Fuerunt quidam Diabolici Hebræorum viri, qui veram Cabalam eis a Deo traditam, futura ſcrutandi, jactitarunt.*

III. *Cabalam hanc, quam paſſim noſtri Cabaliſtæ obſervant, ad diabolicam & divinatoriam magiam pertinere aſſeritur: & hoc quamplurimis rationibus oſtenditur.*

IV. *Hujuſmodi Cabalæ exercitium eſt peccatum mortale.*

V. *Exercentes Cabalæ artem, vel ab eis conſilium circa illam petentes, juxta nonnullorum opinionem ſunt denunciandi.*

VI. *Clerici verò cujuſcumque ordinis ſunt deponendi, & in perpetuum in Monaſterium detrudi debent. Laici verò ſunt excommunicandi.*

VII. *Cuidam obici allato facili methodo, & luculenter reſpondetur.*

VIII. *Proteſtatio contraria factis nullius penitùs eſt momenti.*

IX. *Omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, Apoſtolus ad Romanos cap. 14. verſ. 23.*

I. Quippè in antecedentibus capitibus liquet, Cabala propriè quid ſignificet; licèt vulgus, veritatis expers, artem divinandi ex characteribus & numeris ortam exprimere arbitretur. Quare non loquor hìc de bona & vera Cabala, qua ſeptuaginta illi Hebræorum Rabbini ad ſupernaturalia myſteria ſcrutanda utebantur:

hæc

hæc prorsùs, uti ſatis ex dictis conſtat, ad artem divinandi in qua vis ſua ſpecie conſideretur, non pertinet; cum proprius illius ſenſus anagogicus nominetur, uti jam pro comperto eſt.

II. Nihilominus quidam Diabolici viri Hebræorum fuerunt Cabaliſtæ, ſapientiſq; ſibi nomen falsò vindicantes, magos ſe vocaverunt; adeout res divinas falſis & vanis ſuperſtitionibus polluentes, imo in rei veritate quaſi nihil a Necromantibus differentes, dixerunt, ſecreta Dei nomina & virtutes ſe habere, quibus Diabolos ligarent, & miracula facerent, eorum artem eſſe illam veram Cabalam, quam Moyſi Deus revelavit, impudentèr jactitarunt. Quemadmodum etiam Necromantes ajunt, quod ſuas illas incantationes, & præſtigia ab Adam, ab Henoch, a Salomone, aliiſque obtinuerunt: hanc autem falsò Cabalam vocatam hujuſmodi diabolici Divinatores quandam artem divinandi futura, & agnoſcendi occulta mediis nominibus, characteribus, & numeris per occultam quandam intelligentiam eſſe gloriantur: nec non illam ſibi benignam reddere dicunt per cujuſdam ſigni impreſſionem, cujus occultiſſimo inſtinctu ducti, calculando, & ſubtrahendo characteres, multa ſcribunt ſenſum facientia, occulta futuraque indicantia. Cui diabolicæ arti ideò cabalæ nomen adſcripſerunt, quia alter ab altero illam recipiendo didicit: quam itaque a prædictis vetuſtiſſimis diabolicis Hebræorum viris originem traxiſſe, & fortè ad noſtros Cabaliſtas quoque perveniſſe arbitror, ad hanc igitur eradicandam divino adjutorio propitio gradum arripam.

III. Aſſero, Cabalam hanc, quam paſſim noſtri Cabaliſtæ obſervare cernuntur, ad diabolicam & divinatoriam magiam pertinere. Hujuſmodi autem concluſionem multis probationibus evidentem apparere faciam. Et primò, quia artem illam, quæ ſecreta cordis manifeſtare, futuraque contingentia atque indifferentia prænunciare, aut prænoſſe nititur (cùm quidem ad ſolum Deum pertineat) eſſe intrinſecè malam, fidei catholicæ contrariam nemo ambigit, ob indebitam uſurpationem ejus, quod Dei eſt. Hujuſmodi autem Cabala, qua aſſiduè noſtri Cabaliſtæ utuntur, ad prædicta futura ſcrutanda ordinatur: itaque non ſolum pernotata, & improba malitia pollet, ſed maximè divinatoriæ atque diabolicæ nigra macula conſperſa eſt: uti quoque ex dictis in tractatu de Somniis liquet.

Secundò, quia ex omnium Theologorum ſententia omnis effectus, quem res adhibitæ ex ſua natura producere non valent,

nullamque cum eo naturalem connexionem continent, aut rationabilis caufa non fuppetit, ut vel Deo, vel Angelis adfcribatur, ad diabolicam magiam pertinet: aft in hac diabolica Cabalarum arte res adhibitæ ex fua natura, vi agnofcendi occulta, & revelandi futura præcipuè indifferentia prorsùs carent, quavis femota naturali connexione: itaque pofita conclufio evidenter infertur. Et fanè tradunt Doctores communiter, præfertim Franc. Torreblanca *(a)* Langius *(b)* Scalig. *(c)* aliique, quod nomina quantumvis fpeciofiffima nullam virtutem naturalem operandi continent, idemque eft de caracteribus numerifque dicendum, ex quibus Cabalæ conficiuntur, ut in antecedenti capite fusè probavimus: etenim vel fcripti leguntur, vel ore proferuntur: fi fcripti, quid mortuum funt, & hac eorum propria virtute operari nequeunt: fi verò ore proferuntur, aliam vim non habent, nifi aerem verberandi, cum nullam eifdem virtutem datam fuiffe a Deo in facris Scripturis inveniamus; quemadmodum in Evangeliis, & Conciliis eam datam fuiffe Sacramentorum formis intuemur, & ex Apoftolorum traditione conftat collatam quoque fuiffe exorcifmis, aliifque benedictionibus, quibus Dei Ecclefia utitur. Nec è contra rationabilis caufa fuppetit, ut effectus ifte Deo, vel bonis Angelis fit tribuendus: itaque ad diabolicam artem divinatoriam fpectare hanc Cabalam jurgium minimè eft. Tanto magis quia fenfus, qui ex hac parte, fcilicet per characterum calculationes & fubtractiones cognofcitur, ex occultiffimo inftinctu, quem nefcientes humanæ mentes patiuntur, percipitur: atqui hoc operatione fpirituum immundorum & feductorum patratur, qui quædam vera de temporalibus rebus noffe permittuntur, ut poft Divum Auguftinum *(d)* docet Divus Thomas *(e)* & ut quoque liquebit in tertio tract. de cacodæmonibus; ideoque magis conclufio noftra patefacta obfervatur.

Tertiò, quia fignum, quod ad placandam humanam intelligentiam intervenit, aliud non eft, nifi tacitum pactum cum diabolo habere; quotiefcumque enim in agendis adhibentur certi characteres, aut figuræ, aut figna aliqua pro fcrutandis occultis atque futuris merè contingentibus; ficuti fi pro eifdem apponeretur crucis fignum, vel ipfa

(a) *De magia divinatric. lib.1. cap. 13. de arte Cabaliftica n. 18. Vallef. de facra philofoph. cap. 3.*
(b) *In Epiftola 33.*
(c) *Lib.16. de fubtilit. cap. 349.*
(d) *In lib.2. fuper Genef. cap.17. prope finem.*
(e) 2. 2. 95. *art.* 5. *ad* 2.

ipsa crux, non ut oportet locata, formataque, vel ubi non oportet posita, vel superfluè certis locis, ac certo numero iterata; tacitum cum dæmone pactum in illis quippè intercedit; uti citatus Torreblanca in dicto cap. 13. per totum docet, & præcipuè Martinus Delrio ex comuni Theologorum sensu. (*a*) Quis umquam ex nostris cabalistis affirmare dubitaverit, certos numeros, characteres, vel signa ad futura scrutanda non adhiberi pro cabalarum confectione? Habere autem hujusmodi tacitum pactum cum diabolo, res est intrinsecùs mala, & apostasia tacita a fide, ut omnis Catholicus non ignorat; cùm nemo duobus dominis servire possit. Itaque cabala hæc diabolicæ & magicæ divinationi profectò applicatur.

IV. Hinc hujus cabalæ exercitium semper esse peccatum mortale ex dictis hucusque satis liquet; sapereque quodammodo hæresim non est dubitandum, cùm creaturæ tribuat, quod proprium est Creatoris, scilicet dæmoni agnitionem rerum occultarum, futurarumque accommodat: per hoc enim in dæmone divina sapientia recognoscitur, uti communiter Theologi docent, & probat Suarez (*b*). Prætereaque sicut lethaliter peccant qui id, quod Dei est, creaturæ impendit per idololatriæ cultum; ita lethaliter culpantur, qui ea, quæ a Deo expetenda sunt, auxilio dæmonum impetrant, ut docet Divus Thomas (*c*). Atqui hujusmodi Cabalistæ cabalas conficiendo, atque observando, ea, quæ a Deo sunt expetenda, videlicèt futurorum occultorumque notio, dæmonum auxilio implorant, quantum in se est: itaque saltem tali exercitio graviter fœdant, ac idololatriæ cultum quodammodo committunt.

V. Quamobrem hujus cabalæ artem exercentes, aut ab illam exercentibus consilium circa eandem petentes debere judicio subjacere, non solum patet ex eo, quod peccant, & quodammodo idololatriæ; & ex eo, quod eorum peccatum hæresim tacitè sapit; ut mox dicebam; sed ex eo maximè, quod sunt a fide fermè Apostatæ, ut dictum est, patetque ex iis, quæ Divus Thomas docet (*d*), Apostasia a fide pari passu cum hæresi procedit: Quapropter Nonnulli docent, hanc cabalæ artem exercentes esse omnino denunciandos: idcirco prædictæ cabalæ artem exercentes, vel ab illam exer-

cen-

(a) *In lib. 2. disquisit. magicar. circa princip.*

(b) *Lib. 2. de Religione cap. 8. n. 10.*

(c) *In 2. Sentent. qu. 3. art. 2.*

(d) *In citata qu. 3. art. 3.*

centibus consilium erga eandem petentes eadem pœna plectuntur; quandoquidem nos supponimus hic cabalam hanc, qua divinatores nostri utuntur, esse illam malam, vel ei Hebræorum diabolicorum similem, de quibus in hujus capitis exordio locuti sumus: quare hac supposita, meritò protuli, Cabalistas quodammodo Apostasiæ a fide, Hæresis, Idololatriæ labe fœdari; uti bene attendenti constat.

VI. Hoc tamen discrimine, si Clerici sint, cujuscunque ordinis deponendi sunt, & in perpetuum in Monasterio detrudendi tanquam diabolicæ artis magicæ professores, uti in Canone (a) ubi sic legitur post multa, *vel qui profitentur artem magicam, aut aliqua eorum similia exercentes* (cui est hujus cabalæ exercitium simile): constat quoque ex Agathensi Concilio (b). Si verò laici sint, excommunicari debent, aliisque pœnis tanquam sortilegi, & magi sunt puniendi, de quibus Diaz, & Salcedo in practica criminali canonum (c), & in Canone *aliquanti* eadem citata causa, & quæstione, ubi quoque observatur, *Aliquanti Clerici sive laici student auguriis, & divinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt: hæc quicumque Clericus, aut laicus detectus fuerit, vel consulere, vel docere, ab Ecclesia habeatur extraneus*. Et can. Sortes, can. Si quis Clericus, & sequentibus, eadem causa 26. quæst. 5. Nonne & nostri Cabalistæ inspectione quarundam Scripturarum cabalas tùm conficiendo, tùm perpendendo, futura intendunt? itaque possunt ab Ecclesia haberi uti extranei, ideoque excommunicari. Item Leo IV. Episcopis Britaniæ minatus fuerit.

Quinimo ex Vaticana Arce tale scelus expungendum & pœnis afficiendum, variæ constitutiones vibratæ cernuntur, constitutio 17. Xisti V. contra exercentes Artem Astrologiæ Judiciariæ, & alia quæcumque divinationum genera, incipiens *Cœli & Terræ Creator Deus*, edita anno Domini 1585. Constitutio 20. Clementis VIII. contra Hebræos, tenentes, legentesque libros Thalmudicos, incipiens, *Cum Hebræorum malitia*, edita anno Domini 1593. Hoc idem constat proscriptum ab Innocentio IV. in constitutione 2. incipiens *Impia*, & a Julio III. in constitutione 24. incipiens *Cum sicut*. Et præcipuè in illa Clementis VIII. relati (d) post pauca legitur, *perpetuò prohibemus quosvis libros & codices impios Thalmudicos sæpe damnatos*, va-

(a) *Si quis Episcopus* 26. *qu.* 5.
(b) *Can.* 38.
(c) *Cap.* 107. *&* 108.
(d) *In* §. 2.

vanissimos cabalisticos, atque alios nefarios.

Imò Neapolitana Synodus celebrata anno Domini 1694.(a) onus denunciandi hujusmodi scelus imponit; sic habetur: *Sunt etiam denunciandi Astrologiæ Judiciariæ, Necromantiæ, & Artis Magicæ Professores, aut studiosi, sive quovis modo se in iis exercentes, in terminis Sixti V. & quicumque vanam artem cabalisticam exercent: & Parochi sedulò inquirant, an aliquis ex supradictis in propriis paraciis degat, ut nobis referant.*

VII. Dices, Divinatores nostros tum conficientes, tum observantes cabalas, haud quaquam eas confecisse, vel observasse per regulas traditas, aut immediate confectas ab hujusmodi hominum diabolicorum genere, sed per illas ab hominibus morum optimis confectas, & habitas, aut ab illis obtentas regulas, ex quibus cabalæ conficiuntur, conficere, vel observare. Tanto magis quia semper ac hujusmodi cabalæ observantur, vel conficiuntur, protestatio exhibetur, scilicet si eæ pervenerint ex illo superstitioso atque diabolico usu, haud factæ, neque observatæ intelligantur, nec ullo modo adhibitæ. Et sic superstitiosam actionem hac honesta protestationis veste induere intendunt.

Nihilominùs huic apposito obici nimis frivolo, in charitate responsum præbeo, videlicet, etsi non immediatè e manibus scelestis diabolicorum cabalistarum cabalas, earumqne regulas Divinatores nostri recipiant; tamen hoc solum importat, quod pactum expressum cum dæmone, vel cum ejus sectatoribus detrectatur; sed non perinde pactum tacitum cum eodem, vel eisdem effugitur: nomine cujus venire consensum operantis in primam institutionem introducentis prædictas diabolicas cabalas, quæ cum a primæva origine factæ sint ex pacto inito cum dæmone, tractu temporis omnes illi, qui usurpant hujusmodi cabalas execrabiles *mala fide* tacitè pacisci, & convenire cum dæmone, easdem usurpando, dicuntur. Et profectò nequeunt esse illæ cabalæ bonæ, quas septuaginta Hebræorum Rabbini observant; quoniam, ut sæpe repetitum est, eas pertinere ad anagogicum sensum illius legis, scilicet ad supernaturalia arcana scrutanda: quare quemadmodum ex nostra lege divina, sive ex tota Sacra Scriptura erui nequit modus, quo hujusmodi futura indifferentia præsagiri valeant; & si quis aliquem ex illa excogitare auderet, manifesta esset super-

(a) *Part.* 1. *cap.* 4. *num.* 10.

superstitio; imo Sacram Scripturam adulteraret, quæ præter præfatos sensus supra explicatos, nullum alium sensum contineat; omnisque alius excogitabilis, esset superstitiosus, & a divino sermone prorsus alienus: ita pariter dicendum de illa Hebraica lege, quæ inter alios sensus, ut supra relatum est, quibus gaudet, illum cabalæ continet, quo mysteria supernaturalia visuntur. Quare illum ad aliud significatum retorquere, esset eundem adulterare, atque a divina ejus institutione alienari; ideoque ipsum superstitiosum reddere. Hinc cabalæ omnes, quas Divinatores observant, necessariò a præfato superstitiosorum hominum genere emanant, aut regulæ ab eodem, quibus conficiuntur, processere: itaque fine supranotata, & superstitionis, & alterius relati labe observari nequeunt.

VIII. Protestatio verò asserta nullius penitùs est momenti: quia ab omnibus Theologis protestatio contraria factis appellatur. Nam scire, aut fortitèr dubitare aliquid esse intrinsecè malum, & præsertim Religioni oppositum, & mediante protestatione adhibita reddi licitum, hoc asserere nemo unquam somniavit.

Propterea si Divinatores nostri tandiu cabalas, vel confecissent, vel observassent, & hactenus peccare nunquam existimaverint, bona fides eis profuit: idcircò mox dixi *mala fide*, quia hæc necessariò exquiritur ad totum prædictum malum patrandum, ejusque pœnam merendam: cum autem hucusque illi bona fide operati fuerint; ideo excusabilis ex parte modi tendendi usus cabalæ eis erit.

IX. Atqui hodiè Deo inspirante hoc opus perlegendo, malæ fidei agentes procul dubio fiunt; adeout ampliùs excusari, eas adhibendo, non valeant, ut docet Apostolus ad Romanos (a) *omne autem, quod non est ex fide, peccatum est*.

Demùm non obstantibus tot tantisue veritatibus adductis, quibus Divinatores suasi reddantur ad hoc execrabile facinus detestandum circa harum cabalarum usum; adhuc tamen in JESU Christi visceribus eos obsecror, ut tam a somniorum antea expositorum, quàm cabalarum observatione (quorum usus adhuc Ethnicis ratione compotibus invisus atque exosus penes Scriptores, & præsertim antiquiores perpenditur) se abstineant, ne iram Dei perenniter subeant. Valete, & crescite in gratia, & in cognitione Domini nostri, & Salvatoris JESU Christi: ipsi gloria & nunc, & in diem æternitatis, Amen. Epistola Petri 2. (b).

TRA-

(a) *Cap. 14. vers. 23.* (b) *Cap. 3. vers. 18.*

TRACTATUS III.

DE

CACODÆMONIBUS.

ISAGOGICON.



E admireris Amice Lector, si post præcedentes tractatus, de Cacodæmonibus sermonem instituam: etenim cum quibusdam excellentissimis viris, quadam die, inter alias honestas collocutiones, quas habuerim, de cacodæmonibus discursus nobis occurrerit: cum ergo de his confabularemur, nonnullæ ortæ fuere altercationes, atque difficultates, quæ non solum erga eorum naturam, casum, locum, potestatem, tentationem, invocationem, concursum, aliaque tendebant; sed præsertim circa eorum scientiam futurorum contingentium atque indifferentium versabantur. Quamobrem de his omnibus sensus meus, ut omnium sanam correctionem subeat, in scriptis exarari mihi visus est: præcipue ut divinatorum mentes illusione affectæ semel suadeantur, minimè esse inferiorem nostra cacodæmonum ignorantiam futura erga contingentia; quatenus horum notione isti prorsùs privantur. Quod si comperiatur, divinatores nostros superstitionibus adhibitis pro futurorum indifferentium scitu, haud amplius uti, existimo: nam frustra media illa adhibentur, quæ ad finem consequendum omninò inepta agnoscuntur.

Hinc est, scopum, quo præsens tractatus dirigitur, esse, ut illusiones e divinatorum mentibus diluantur, eorumque animus reddatur simplex; quinimo tota, qua possum, industria in præsen-

ti Divina providentia ſecernere, an poſſint Cacodæmones ex eorum mera voluntate, & poteſtate, independenter ab omni Dei permiſſione, tantum data maleficorum hominum pravitate, in humanæ creaturæ mentem illabi, ejuſque corpus obſidere? & quare Deus interdum id permittat? & quomodo a nobis vitandum? etenim abuſus inter Chriſtianos Catholicos ſemper invaluit, hoſce trepidare timore, ubi non eſt timor, ſcilicet Diabolum formidando: quando iſte noſtra viva in corde fide exterritus evaneſcit. Sit igitur nobis Deus propitius.

CAP.

CAP. I.

De Cacodæmonum natura, eorumque existentia.

SYNOPSIS.

I. *Omne ens, vel existit a parte rei, vel mente concipitur.*
II. *Cacodæmones sunt verè entia creata realia, seu a parte rei existentia.*
III. *Cacodæmonum existentia uti dogma de fide creditur, & statuitur.*
IV. *Est quoque sensus communis SS. Patrum, Cacodæmonum existentiam admitti.*
V. *Quid significet Dæmon, & quid Diabolus; & quare cacodæmon appellari debet.*
VI. *Hæc vox Angelus tam bonis, quàm malis competere potest: & uterque quomodo definiatur, adducitur: & præcipuè Dæmones esse merè spirituales substantias a quavis corporeitate semotas statuitur.*
VII. *Completur definitionis expositio.*
VIII. *Cacodæmones omnes esse veras substantias eorum natura, & ab intrinsecis immortales asseritur, licet ex Dei nutu destrui possint.*

I. OMne, quod est, aut mente percipitur, vel ens reale, vel rationis est: ideoque essentiam, seu naturam habere debet. Nam cujuscumque rei adhuc idealis, primus conceptus erga essentiam, seu naturam versatur; cum per ipsam res omnes reales substantiales, sive spirituales, sive materiales, sive accidentales uti distinctas cognoscimus, & uti subsistentes fatemur. Sic quælibet res, & increata, & creata, propria earum natura atque essentia secernitur; licèt hoc discrimine, quod prima utpote omninò a se, & independens, secunda tanquam essentialiter ab alio derivata agnoscatur.

II. Hinc cacodæmones cum sint entia verè realia dependentia, atque creata, a parte rei existentia, ut de fide habetur, ex vera natura, & essentia constare debent: ac proinde de ea rectè possumus abundè peragere, & quæ, quid sit, mox aperiemus.

 III. An-

III. Antequam ultra progrediamur, cacodæmonum existentiam (ne de subjecto non supponente sermo expositus dicatur) stabilire non conor. Nam inter dogmata, quæ assiduè in hac Catholica Ecclesia militante fatemur, veraque charitate credimus, celebre est istud, quod habetur de cacodæmonum existentia, & quod in Sacra Scriptura luculenter apparet (a) *Obtulerunt ei multos dæmonia habentes*. Et ibidem, *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia*. Et in fine citati capitis, *Dæmones autem rogabant eum*. Et Lucæ (b) *& tentabatur a Diabolo*. Et ibidem, *diabolus recessit ab illo*. Et in fine, *exibant autem Demonia a multis*. Actorum (c) *afferentes ægros, & vexatos a spiritibus immundis*. Sapient. (d) *invidia autem diaboli, mors introivit in orbem terrarum*. Prima Petri (e) *sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus, &c.* Atqui videtur ferè tota Sacra Scriptura de hac cacodæmonum existentia loqui, & ut habetur etiam in Apocalipsis Textu, in quo passim de iis fit mentio ad Sadduceorum errorem evellendum, hujusmodi substantias spirituales negantium, ut patet quoque in Apostolorum actibus.

IV. Estque pariter sensus Sanctorum Patrum communis de cacodæmonum existentia; & ne molestus reddar, Patres singulos citar e, relinquendum puto. Nemo quoque unquam discrepavit Theologus ab hoc sensu communi relato, sed omnes semper uti indubitatum censuerunt. Solùm penes eorum quosdam in reddendis de dicto dogmate rationibus demonstrativis dissidium leve non fuit: unanimiter tamen fateri videntur, naturali ratione, seu naturæ lumine præfatam cacodæmonum existentiam demonstrari non posse.

Sed in oppositum afferi potest, quod si cacodæmones essent existentes, a Deo in libro Genesis creati reperirentur: ibi autem de iis nulla mentio facta videtur: itaque horum existentiam affabre quisque renuere valet.

Tamen minus rectè; cum adhuc de bonis Angelis hoc militare observetur, nihilque de istis ibi expresse exprimatur. Nihilominus ex eadem authoritate Genesi (f) cacodæmonum existentia inferri cernitur. Nam tempore quo Adam, & Eva nudi in paradiso erant, quædam alterius speciei rationalis creatura præter hominem fuisset; dum ibi

(a) *Matth. cap.8.*
(b) *Cap.4.*
(c) *Cap.5.*
(d) *Cap.2.*
(e) *Cap.5.*
(f) *Cap.3.*

ibi legitur, serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, qui Evam de facto decepit. Hujusmodi autem serpentem diabolum fuisse, serpentis veste indutum pro facili deceptione obtinenda, cum complures sacri eloquii interpretibus Patres instruunt.

Patet quoque Cacodæmonum existentia primò ex revelationibus quorundam occultorum, quas sæpe hominibus factas didicimus, quæ ex ordine, & influxu corporalium causarum superiorum & inferiorum salvari haud poterant. Secundò ex responsis, seu oraculis, aliisque miris effectibus, circa idola apparentibus, quibus Dæmones hominibus etiam magnis & sapientibus, ut Romanis, &c. se colendos suaserunt: quique profectò effectus rationabiliter ad superiores, vel inferiores cursus naturalis causas reduci nequeunt. Tertiò ex operibus magicarum artiũ quidam sunt effectus mirandi, qui fiunt mediantibus verbis, nõ ex intrinseca verborũ virtute, aut characterũ, neq; cujusvis naturalis causæ activitate, sed cacodæmonum ope emanant, ut ex subitis transmutationibus rerum, ut virgarum in serpentes Pharaonis magi confecere.

IV. Patet ex ipsis energumenis, qui sæpe juxta varia linguarum idiomata respondent, quamvis idiotæ, & illiterati sint, & hoc nonnisi cacodæmonum virtute, qui in eo idiomate eorum lingua utuntur.

V. Statuta igitur dæmoniaca existentia, ad ejus naturam, seu essentiam intuendam aggredimur, quæque hisce nominibus passim nominari solet, nempe *Dæmon*, *Diabolus*, & *Sathanas*; hujusmodi autem voces latinè ab effectibus exprimunt quidquid ab illa natura gignitur. Quare cum dicitur dæmon, perinde est, ac multiscius, seu sapiens, atque rerum peritus: & ideo à Grecis hoc nomen *Dæmon* adhuc bonis Angelis tribui videtur; quoniam etiam multiscientes, seu sapientes sunt nominandi: quare malis Angelis ad discrimen bonorum hoc nomen *Cacodæmon* propriè præberi deberet; licèt Scripturarum, Christianorumque usus, dictionem hanc *Dæmon* malos Angelos explicuisse, & exprimere semper invaluerit. *Diabolus* verò accusator, sive calumniator tanquam ex Greca nomenclatura διαβολος profluit, uti Didimus Alexandrinus in epist. in Joan. benè notat: Hebraicè verò *Reseph*, & transfertur flamma volucris, lampas vel sagitta, juxta *Lausdenium* in sacro Onomastico; in Glos. verò ordinaria in cap. Firmiter de summa Trinitate habetur, Diabolum dici a δια, quod est *duo*, & βολος, quod est *morsellus*; quasi duos morsellos ani-

(a) *Cap.* 3.

animæ corporiſque cupiens, denotatur; aut juxta Divum Bernardum in expoſitione illorum Evangelii verborum *Ecce nos reliquimus omnia*, quoq; à διὰ, & βολος, primum, ut, dixi *duo* ſignificat; ſecundum vero rete exprimit, fermè uti noſter infenſus hoſtis duplicibus retibus ad decipiendum nos utitur. Demùm hac voce *Sathanas* nuncupari quoque experimur, quam *Adverſarium* exponere cernimus, ut Iſidorus 8. Ethim. pariter docet: & ideo Apoſtolorum Princeps (*a*) nos hiſce verbis monet: *Fratres, ſobrii eſtote, & vigilate, quia Adverſarius veſter Diabolus tanquam Leo rugiens, &c.*

VI. Quod latinè *Nuntius*, hoc Grecè *Angelus* ſignificat, quique ſive bonus, ſive malus ſic definiri poteſt, eſt *Spiritus quidam creatus in ſuo genere completus*. Dicitur *Spiritus*, ideſt vera ſubſtantia ſpiritualis cognitionis minimè expers, imò ſummæ intelligentiæ particeps; quare etiam ſtat loco generis, ut quoque cum animabus rationalibus conveniat, licèt in ratione perfectionis naturæ ab illis diſconveniat (*b*) *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis*: idcircò quamcumque ſubſtantiæ extenſionem, corporeitatem adhuc ſubtiliſſimam, velociſſimam, tenuiſſimamque, excludens. Cum nullum ſit ſacræ paginæ eloquium, quod Cacodæmones eſſe corporeos teſtatur: imo oppoſitum in eo intuemur, cùm illos *Spiritus* tantum, & non *Corporeos* nuncupari legimus. Favetque nobis quoque Synodi Lateranenſis Authoritas ſub Innocentio III. (*c*) ſic decernens, *Deus utramque de nihilo condidit creaturam ſpiritualem, & corpoream, Angelicam videlicet & Mundanam; ac deinde humanam, quaſi communem ex ſpiritu, & corpore conſtitutam.* Et demum ſi Cacodæmones eſſent ſubſtantiæ corporeæ, quomodo integra cacodæmonum legio 6666. in parvulo humano corpore contineri, ſeu intrare, & illud obſidere poterat? uti (*d*) notatur.

Neque obſtat Authoritas ſeptimæ Synodi (*e*) ſententiam Joannis Epiſcopi Theſſalonicenſis approbans, Dæmones ſigno corporeo depingi poſſe. Nam prædicta Synodus factum, & non cauſam approbavit. Et licèt penes quamplures antiquiores Scriptores, non tantum cacodæmones, ſed cunctos Angelos bonos eſſe corporeos aſſertum legatur; hodie vero ex Oecumenica Synodo hoſce uti vere incorporeos ferri videtur.

VII.

(a) 1. *cap*. 5.
(b) *Pſal*. 8.
(c) *In cap. firmiter de ſumma Trinitate.*
(d) *Luc*. 8.
(e) *Actione* 5.

VII. Deinde in definitione dicitur ſpiritus creatus, ut appareat illud maximum diſcrimen ſine ulla prorſus comparatione militans inter Deum creatorem omnium, tanquam ipſum eſſe a ſe per eſſentiam, & hunc creatum ſpiritum tanquam eſſe per participationem ab alio pendens, quodque coram Deo veluti umbra cenſeri videtur, uti in Iſaia (a) inſtruimur: *Omnes gentes, quaſi non ſunt; ſic enim reputantur creaturæ coram Deo.*

Definitio denique concluditur *in ſuo genere completus*, ad diſcrimen rationalis animæ, quæ a Deo ſtatuta cernitur cum corpore unam integramque naturam conficere atque conſtituere, utpote forma ſubſtantialis illius. Dæmon autem ſui juris eſt per ſe ſubſiſtens nullo naturæ inſtituto in alterius compoſitionem venire debet, cum nullius compoſiti parte conſtitutiva conſtet.

VIII. Hinc infertur, Dæmones omnes eſſe veras ſubſtantias ſui natura, & ab intrinſicis immortales, & incorruptibiles. Hanc dictionem non caſu protuli, *ſui natura, & ab intrinſicis*, non quatenus per omnipotentem Dei nutum, divina deficiente conſervatione atque concurſu, annihilari, & deperdi nequeant, quandoquidem hic eſt proprius cujuſvis creatæ naturæ conceptus, quæ utpote eſſentialiter a Deo dependens, ſicut exiſtit, deſinere profectò poteſt: ſed quia diabolica ſubſtantia omni principio intrinſeco ſive remoto, ſive proximo corruptionis penitus caret; quoniam ab ipſamet omnis compoſitio omninò excluditur, ſicuti Lateranenſis Synodi decretum ſub Leone X. (b) celebratum ſancivit inquiens, *Animam noſtram rationalem eſſe omninò immortalem ab intrinſecis ſuis omni prorſus principio corruptionis carentem*; fortiùs eſt idem dicendum de cacodæmonis ſubſtantia, quæ perfectione naturæ animabus noſtris rationalibus perfectior eſt, uti mox dicebam. Favetq; huic doctrinæ adhuc Divi Dionyſii authoritas (c) de divinis nominibus, ſic comprobans, *intellectuales ſubſtantias vitam habere indeficientem ab univerſa corruptione, morte materiæ, & generatione mundas exiſtere* (hoc idem de anima rationali affirmans) eo quia mentis eſt compos, & vitam cum ſola dependentia a Deo per ſe eſſentiamque ſuam habet, eaque ab interitu liberatur.

CAP.

(a) *Cap.* 40.
(b) *Seſſ.* 8.
(c) *Cap.* 4.

CAP. II.

De Cacodæmonum creatione, ejuſque tempore, & loco.

SYNOPSIS.

I. *Deus tanquam ens a ſe, & neceſſarium, omnium tam viſibilium, quàm inviſibilium, ideoque adhuc cacodæmonum conditor, & conſervator eſt neceſſariò nominandus.*

II. *Attenta naturali ratione, magis conſtare videtur, cacodæmonibus, cæteriſve ſpiritualibus creaturis propriè, & directè creari, quàm materialibus, ſeu corporeis entibus competere, excepta prima rerum creatione.*

III. *Auguſtinus, & Joannes Chryſoſtomus, quare Moyſes Angelorum bonorum, & adhuc malorum creationem non deſcripſerit, rationem adducunt.*

IV. *Quo tempore cacodæmones creatos fuiſſe ſtatuitur.*

V. *Adhoc ut poſſit cacodæmonum creationis locus aperiri, fas eſt prius ſententiam, quam circa cœlorum numerum tueor, ponere: idcirco tres eſſe cœlos, nec plures, nec pauciores aſſeritur.*

VI, *Quid communiter Theologi de creationis loco ſentiant, qui in cœlo empyreo cacodæmones creatos fuiſſe concludunt.*

VII. *Sed adhuc ſenſum meum, de dicto cœlorum numero ſectando, illos creatos fuiſſe in cœlo ſtellato, ſeu firmamento tueri poſſum, & de re hac duo Textus ſacræ Scripturæ, qui opponi videntur, luculenter exponuntur.*

VIII. *Cæteræ rationes tum intrinſecæ, tum extrinſecæ, quibus ſenſus noſter nititur, afferuntur.*

I. INdubitatum penes omnes ſemper fuit, eſt, & erit, Deum uti verè in omni genere infinitum, atque Ens a ſe & independens, imò neceſſarium, cujus exiſtentia ita eſt, ut non poſſit non eſſe, ideo neceſſariò debet eſſe & exiſtere, verum & unicum omnium entium contingentium, cunctarumque creaturarum cujuſvis generis, & conditionis

ſive

ſive naturalium atque materialium, ſive ſupernaturalium atque ſimplicium eſſe Creatorem, a quo cuncta eſſentialē dependentiā, & ſuam conſervationem agnoſcunt: adeout nec eſſe, nec fingi poſſit aliquod ens, quod Deum ut ejus factorem conſervatoremque non teneat, niſi quid chimericum, & ſomniatum. Meritò igitur Eccleſia univerſalis in Symbolo Nyceno fatetur: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentē factorē cœli & terræ, viſibiliū omnium & inviſibilium.* Et Pſal. (*a*) *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt.* Et Joannis (*b*) *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.*

Quaombrem a Deo pariter cacodæmones non qua cacodæmones ſunt, ſed qua creaturæ ſpirituales ſuum ortum trahunt, ſcilicet tanquam creaturæ, ſeu entia contingentia, licèt ſpiritus & ſimplices ſint, ideoque ſenſibus corporeis minimè ſubjecti: quare nomine *inviſibilium* citati Symboli, inter cæteras creaturas ſpirituales profectò cacodæmones computantur (licèt eorum malitia non in creatione, ſed poſt aliquod temporis, ut infra, in ipſis propria voluntate fuerit) & ſanè ſi bonos Angelos a Deo productos eſſe quoque de fide patet, ad Coloſſ. (*c*) ubi, *in ipſo condita ſunt univerſa in cœlis, & in terra, viſibilia, & inviſibilia, ſive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates; omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt*: ita & malos Angelos uti ſpiritus a Domino Deo omnium creatore creatos fuiſſe aſſerendum eſt: etenim hujuſmodi cacodæmones priuſquam ſcelus patrarent, boni & juſti affirmabantur, ut mox patebit; idcirco in citato Concilio Lateranenſi ſtatuitur, *Deum utramque condidiſſe creaturam, humanam ſcilicet, & angelicam*. Cacodæmones autem utique Angeli ſunt, licet mali; tamen Angelicam certò naturam retinent, quam peccatum auferre, aut mutare haud potuit; nam ſicut homo per peccatum non amiſit, nec amittit humanam naturam, ita Angelus per idem angelicam ſuam naturam non perdidit; imò, ut S. Thomas (*d*) aſſerit, quantum ad dona naturalia Dæmon per peccatum minime ramanſit læſus.

II. Sed ſi rationi naturali operam navare velimus, luculenter intuebimur, *creari* cacodæmonibus, cæteriſve ſpiritualibus creaturis magis competere, quàm materialibus: quandoquidem materiales creaturæ verè & propriè *generari* dicuntur, exceptis prioribus illis

P o pe-

(a) *Pſal.* 148.
(b) *Cap.* 1. *verſ.* 3.
(c) *Cap.* 1. *ver.* 16.
(d) 1. *part.*

operibus in mundi exordio, ex quibus singulæ species progenitæ fuere quæ non diversæ, nec plures ex illis, quæ fuerunt, modo cernuntur; & ideo Sacra Scriptura ait in Ecclesiast. (a) *Quid est quod fuit ? ipsum quod futurum est : quid est quod factum est ? ipsum quod faciendum est . Nihil sub sole novum , nec valet quisquam dicere : Ecce hoc recens est: jam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.* Quatenus generatio oriri debet ex præsupposita materia corrupta , seu in aliud mutata, juxta illud vulgatum , *Generatio unius est corruptio alterius*; idcircò hoc individuum materiale , quod nunc generatur , est similis speciei illi , quod ab exordio mundi corruptum agnoscitur , cum nihil sub sole novum , seu nulla nova species creaturarum generantium & genitarum nunc perpendatur , quæ semper cum hoc mundo creato non coextiterit : hujusmodi autem species corruptione , & generatione eorum individuorum conservantur ; quare generatio individui ex corruptione alterius individui vi naturalis agentis formatur ; & ideò communiter ajunt, *Ex nihilo nihil fit, & in nihilum nil redigi potest.*

Creare autem est aliquid producere vi actionis superioris ordinis in instanti , solo nutu divinæ voluntatis , nullis præviis dispositionibus naturalis agentis , quod verè aliquid ex nihilo fieri importat , ut nihil sui esset, antequam produceretur . Cum autem cacodæmones, uti supra visũ est, cæteræve spirituales creaturæ penitùs materia careant, tanquam merè incorporea , & spiritualia entia ; manifestè infertur , quod generari nequaquam dicuntur , sed necessariò ex nihilo produci & creari affirmantur .

III. Sanctus Aurelius Augustinus maximus Ecclesiæ Doctor (b) sicuti Joannes Chrysostomus (c) conati sunt in ratione assignanda , quare Moyses mundi genesim describens prorsus de Angelorum creatione non meminerit, quæ , quando, & ubi acciderit , verbum nullum expuerit ? Ajunt , quia Moyses populum rudem & nimis carnalem alloqui debebat ; & quia prorsus hujusmodi doctrinæ incapacem intuebatur ; ideo de Angelorum sive bonorum , sive malorum creatione nihil expresserit: nam si eis quasdam creaturas super omnem naturam corpoream esse constitutas , fuisset expressum , eisdem idololatriæ occasio , ad quam proni erant , exhibita fuisset ; & quia ab hac Moyses eos præcipuè arcere intendebat , ideo Angelos sive bonos , sive malos silentio præteriit .

IV. At

(a) *Cap.1.vers.9.*
(b) *Lib.12.confes.cap.17.*
(c) *Homil.2.in Gen.*

IV. At non perinde Theologi inter ſe non diſſident in inquirendo hujuſmodi factæ creationis, ſacra pagina duce, & tempore & loco. Et primò quoad tempus Patres non conveniunt, quorum nonnulli tam Greci, quàm Latini autumant, Angelos, & cacodæmones ante viſibilem corporeumque mundum creatos fuiſſe. Greci, ut Origenes in libris Periarchon, Baſilius (a), Nazianzenus oratione in Chriſti nativitatem, Chryſoſtomus (b) de providentia Dei ſub initium, Damaſcenus (c): Latini, ut Hilarius (d) non procul a fine in libello contra Auxentium, Ambroſius (e), Hieronymus, Iſidorus, Caſſianus, Hugo Victorinus, ob hanc rationem, quia par fuit, intellectualem ſubſtantiam primùm omnium viſibilium creari. Huic opinioni adverſantur Philo in Hiſtoria Sacra primo libro Regum de Saule arreptitio, & Davide citharam pulſante, & Eucherius ſup. Gen. (f) aliique, qui Angelos atque cacodæmones poſt conditum hunc viſibilem mundum creatos fuiſſe aſſerunt. Inter hoſce oppoſitos ſenſus alter quorundam Patrum mediat, ut Divi Gregorii (g), Magiſtri ſententiarum, Caſſiodori, & Bedæ (h), cæterorumque opinantium, Angelicam ſubſtantiam conditam fuiſſe nec ante, nec poſt, ſed ſimul cum Mundo viſibili, cui ſententiæ Recentiores communiter Theologi adhærere videntur, & meritò. Primò quia ex Gen. non obſcure per illa verba colligitur, ſcilicet *In principio Deus creavit Cœlum, & Terram, & dixit Deus fiat lux*, quem textum exponendo plerique Patres, puta Auguſtinus (i), Cyrillus (k) contra Julianum, Gregorius (l), Beda in Hexameron, & Rupertus Tuicenſis (m) per *Cœlum, & lucem* figuratè quoque Angelos creatos fuiſſe ſignificari intelligunt: quemadmodum in Eccleſ. (n) habetur, *qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul*; & licèt hujuſmodi Textus variam explanationem penes interpretes ſortitus ſit, tamen adhuc noſtræ concluſioni favere videtur: nam illa dictio *Omnia* tanquam univerſalis (uti Dialectici docent) tam ſpiritualia, quàm materialia ſimul creata indicare non obſcurè perpenditur.

P 2 Quod-

(a) *Homil.* 1. & 2. *Hexa.*
(b) *Lib.* 1.
(c) *Lib.* 2. *de fide Orth. cap.* 3.
(d) *Lib.* 12. *de Trinit.*
(e) *Lib.* 1. *Hexa. cap.* 5.
(f) *Gen. cap.* 1.
(g) *Lib.* 28. *moral. cap.* 7. & 14.
(h) *Super Gen. cap.* 1.
(i) *Lib.* 1. *de Gen. ad lit. cap.* 1. & *lib.* 11. *de Civit. cap.* 9. 19. & 23.
(k) *Lib.* 2.
(l) *Lib.* 27. *moral. cap.* 25.
(m) *Part.* 1. *q.* 61. *art.* 3.
(n) *Cap.* 18.

Quodque confirmatur etiam ex Exod. *(a)* ubi habentur hæc verba: *Fecit Deus ſex diebus cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt*: nota ly *omnia*, & ex Concilii Lateranenſis authoritate ſub Innocentio III. ut refertur in cap. Firmiter de ſumma Trinitate, & fide Catholica, ubi hæc verba leguntur, *Deum ab initio temporis ſimul utramque creaturam de nihilo condidiſſe, ſpiritualem, & corpoream*. Et quamquam non ſit hæc mens citatæ Synodi, hoc definire; tamen ſemper eſt magnæ authoritatis nobis favens.

Quare nullius momenti eſt objectio antecedentis ſententiæ fretæ textu Apoſtoli ad Titum *(b)* ſcilicet; *quam promiſit Deus ante tempora ſæcularia*. Itaque ſi ante hæc tempora promiſſio fuerit, ſaltem Angelis uti præexiſtentibus oblata ſupponitur.

Nam textum hunc allatum variè Patres, & Interpretes interpretati ſunt; idcirco nil tutum ex illo inferri valet: hinc ſecundùm præcitatum Exodi textum, Cœlum fuit creatum cum omnibus ejus partibus; Angeli, qui ſunt partes Cœli fuerunt creati in ipſo Cœli loco, quando Cœlum ipſum creatum fuit a Deo.

V. Quantum ſpectat ad locum ſpecialem, in quo cacodæmonum creatio atque productio acciderit, fas eſt primò illud philoſophorum celebre jurgium de cœlorum numero juxta noſtrum ſenſum dirimere. Idcirco tres tantùm eſſe cœlos opinor, nempe Empyreum, firmamentum, & cœlum planetarum: & ratio me ſuadens hæc eſt, quia præter illos præfatos cœlos cæteri omninò ſuperfluunt, & non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate: ac proinde ſeptem eſſe cœlos pro ſingulis ſeptem planetis, qui in diverſis locis cernuntur, ideoque ſidera errantia nominantur, gratis aſſeritur; quandoquidem primum cœlum eis tribuere bene ſufficeret, qui ipſum diſcurrere valeant, quemadmodum in mari piſces, & in aere aves curſitant. Quapropter relictis cæteris rationibus idem ſuadentibus, tantùm Sacræ Scripturæ authoritate, cui magis ſenſus noſter conſonus videtur, confirmatur; Apoſtolus ait *(c) ſcio hominem raptum hujuſmodi uſque ad tertium Cœlum; quoniam raptus eſt in Paradiſum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*: ex quibus verbis clarè perpenditur, quod raptus fuit Apoſtolus ad tertium Cœlum, quod Paradiſum appellat, quodque eſt verum Cœlum Empyreum, ſeu Beatorum ſedes. Itaque Apoſtolus ſi duos dumtaxat Cœlos traſcenderit, nempe illud fluidum pla-

(a) *Cap.20.ver.11.*
(b) *Cap.1.ver.2.*
(c) *In Epiſtola 2. ad Corinth.cap.12.*

planetarum, illudque firmamentum, seu Cœlum stellatum, ut ad Empyreum, seu Paradisum pervenerit, in quo arcana verba audiverit; consequens affabrè infertur, tres tantùm esse Cœlos, nec plures, nec pauciores. Rationes verò Peripateticorum, cæterorumque, quibus novem Cœlos esse, vel undecim, vel plures asserere laboratur, facili negotio diluuntur. His positis.

VI. Communis est Theologorum sententia post Divum Thomam (*a*) cacodæmones fuisse creatos in Cœlo Empyreo, ob hanc rationem; quia natura Angelica, qua induuntur etiam cacodæmones, tanquam præstantior, & superior tùm humana, tùm cunctis creatis naturis est: ideo in præstantiori loco, quod est cœlum Empyreum, creari decens erat. Quemadmodum ajunt, adesse Sacræ Scripturæ textum (*b*) *quomodo de cœlo cecidisti Lucifer*. Et (*c*) *videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*: itaque si cacodæmones de cœlo ceciderunt, in cœlo, & propriè empyreo creati fuerunt.

VII. At hujusmodi opinioni adversando ne me temerarium, atque impudentem existimes, uti eos appellat Synodus Tridentina adversantes unanimi Sanctorum Patrum sensui Sess. 4. de Canonicis Scripturis: etenim doctrina hæc Theologorum communis minimè a Sanctis Patribus unanimiter instruitur, cum vix unum, vel duos non ex professo de hoc agentes, pauca expuentes verba invenerim. Hinc juxta Sanctos Patres meum placitum assero, cacodæmones (sicuti & bonos Angelos) in Cœlo stellato, quod firmamentum appellatur, creatos fuisse; & hoc pacto duo sacræ paginæ loca, quæ ad rem facere videntur, faciliùs declarantur. Alter ex his textibus est ille Isaiæ (*d*) ubi sic habetur, *in cœlum conscendam, super astra exaltabo solium meum*, ubi nota, quomodo Lucifer in Cœlum Empyreum conscendere intendebat, si fuisset in Cœlo Empyreo creatus, utique insanus existimaretur quispiam in domo sua existens, & ita loqueretur, in domum meam conscendere vellem: itaque asserere oportet, quod Luciferi, cæterorumque cacodæmonum creatio in firmamento cœlo contigerit, ideo phrasis hæc ab eo fuit adhibita in Cœlum conscendam, scilicet in Cœlum Empyreum, ad quod suum ascensum dirigere optabat.

VIII. Quamobrem non existimarem tam ineptè asserere verba illa,

(a) *Quæst. 61. art. 4.*
(b) *Isaiæ cap. 14.*
(c) *Luc. cap. 10.*
(d) *Isaiæ cap. 14.*

la, quæ in Sacra Scriptura leguntur in Apocal. (*a*) ubi de dracone, idest de diabolo, dicitur, *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram*. Nomine Stellarum cæteri Angeli prævaricatores intelliguntur (ut ita non pauci interpretes, & Patres intelligunt) qui in cœlo stellato, seu in firmamento morabantur; idcirco stellæ nominati fuere ex loco, in quo creati dicuntur; adinstar vulgati nostri sermonis, quo per modum exempli, aliquem Neapolitanum appellamus, quia in eadem civitate ortum suum sortitus est. Tanto magis, quia in hanc videtur inclinare sententiam Patrum Princeps Sanctus Hieronymus maximus Ecclesiæ Doctor in Commentariis (*b*), dum sic inquit, *quomodo Diabolus adhuc in cælo positus dicat, adscendam in cælum*, quatenus cum esset in cœlo firmamento, in cœlum, ubi solium Dei est, ascendere cupiebat.

Alii scripturæ textus sunt illi iidem, quibus Theologi ad firmandum Angelos in Cœlo Empyreo creatos fuisse utuntur. Lucæ (*c*) *videbam Satanam sicut fulgur de Cœlo cadentem*. Et Isaiæ (*d*) *quomodo de Cœlo cecidisti, Lucifer*. Hujusmodi autem textus, cum, de quo cœlo Lucifer ceciderit, non declarent, benè de cœlo firmamento intelligi quoque possunt. Et sanè via sui natura a termino distincta esse debet: atqui Angeli, omnesve cacodæmones profectò viatores fuerunt: itaque in loco termini creati haud esse debebant, uti esset Cœlum Empyreum beatorum sedes a cunctis Theologis sic nominatum. Et hoc pacto communiter rationi supra relatæ respondetur, quod benè Naturæ Angelicæ cunctis creatis sublimiori sublimior locus suæ creationis responderet, si iste firmamentum esse dicatur: quoniam locus viæ, & non termini esse deberet, & hic viæ locus secundùm nostrum sensum de cœlorum numero, sublimior firmamento minimè habetur.

CAP.

(a) *Cap.* 12.
(b) *Super Isa. lib.* 6.



(c) *Cap.* 10.
(d) *Cap.* 14.

CAP. III.

De Cacodæmonum via, & peccato.

SYNOPSIS.

I. *Antecedenter est resolvendum illud celebre dubium; an cacodæmones cum gratia sanctificante, vel potius in statu puræ naturæ creati fuerint?*

II. *Authoritatibus adductis, quibus probatum est cacodæmones in gratia sanctificante creatos fuisse, rationes intrinsecæ adduntur.*

III. *Et licèt non constet, cacodæmonibus prævia dispositione, vel potiùs mera Dei bonitate gratiam Sanctificantem datam fuisse; credibiliter tamen prævia eorum dispositione est concludendum.*

IV. *Statuitur verè, & proprie cacodæmones viatores fuisse.*

V. *Præter multas allatas rationes, quibus via horum ostensa est; cæteræ rationes adducuntur.*

VI. *Affertur opinio Divi Thomæ, & aliorum erga hujusmodi viæ durationem.*

VII. *Quid sit felicitas, & quid tristitia atque miseria, exponitur.*

VIII. *Manifestè cacodæmonum in sacris literis lethale peccatum constat.*

IX. *Cacodæmonum peccatum fuisse superbiam, seu inordinatum propriæ excellentiæ amorem, cum contemptu humilis subjectionis ad Christum dominum, eis tunc revelatum, communis sensus est.*

X. *Neque hujusmodi peccatum fuisse appetitum unionis Hypostaticæ, sive directò invidiam in humanam naturam.*

XI. *Quod idem peccatum humilis subjectionis negationem ad Christum Dominum, quoque spretum in se continet.*

XII. *Frustranea prorsus fuit opinio eorum asserentium, Angelos amore mulierum captos per libidinem peccasse.*

I. ANtecedenter resolvendum est quæsitum illud, an cacodæmones cum gratia sanctificante, vel potius in puræ naturæ statu crea-

creati fuerint? Et assero cum Divo Thoma (*a*) communique Theologorum sensu, ac Patrum doctrina, Angelos omnes sive bonos, sive malos in statu gratiæ sanctos, & justos a Deo eorum Creatore creatos fuisse. Hæc autem conclusio probatur primò authoritate Patrum, Augustini (*b*) ubi sic habetur, *bonam voluntatem quis fecit in Angelis, nisi ille, qui eos cum sua voluntate, idest cum amore casto, quo illi adhærent, creavit? simul in eis condens naturam, & largiens gratiam*. Anselmi (*c*), Gregorii (*d*), Hieronymi (*e*), Theodoreti de Dei cultu (*f*), & hæritic. cap. de diabolo, & dæmonibus, Damasceni (*g*), Basilii (*h*), & ita cæteri Latini, quàm Græci Patres, quorum licèt nonnulli oppositum eos tradere arbitrentur; tamen de dictæ sanctificantis gratiæ perseverantia sunt intelligendi, in qua poterant, & debebant cacodæmones se servare, & ob suam malitiam noluerunt.

Occurrit etiam testimonium sancti eloquii Ezechielis (*i*), *Diabolus dicitur fuisse plenus sapientia, & decore, & in medio lapidum ignitorum perfectus ambulasse*. & Joannis 8. ubi de diabolo, *ille in veritate non stetit*: ergo si decidit a veritate, per veritatem hic intelligitur gratia, & sanctitas, in qua non perseveravit secundùm communem Theologorum sensum. Sed quia loca ista variè Sancti Patres interpretati sunt; ideo hisce efficaciòr ille in Epist. Catholica Judæ esse videtur, ubi habetur: *ANGELOS verò, qui non servaverunt suum principatũ, sed dereliquerunt suũ domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit*. Per peccatum autem cacodæmones naturalem principatum, & dignitatem non amisisse profectò constat, cum omnia naturalia integra eis remanserint: itaquè per domicilium, & dignitatem, gratiam sanctificantem Apostolus intelligit, istamque dignitatem per eorum scelus patratum derelinquerunt, vinculisque æternis reservati morantur. Idemque patet ex can: (*k*) ubi Joannes Pontifex sic de diabolo loquitur, *dolet enim satis, & erubescit, charitatem, quam in cœlo nequivit habere, homines constantes ex lutea materia tenere in terris*. Nomine autem *charitatis* gratia san-

(a) *Quæst.*62. *art.*3.
(b) *Lib.*12. *de civ. Dei*, *cap.*9.
(c) *De casu diabolicap.*9.*& seq.*
(d) *Lib.*32.*moralium cap.*18.
(e) *Cap.*3. *Oseæ*, *& in cap.*4. *Job.*
(f) *Lib.*5.
(g) *Lib.*2. *de fide cap.*3.
(h) *In psalm.*32.
(i) *Cap.*28.
(k) *Visis* 16. *q.*2.

ſanctificans intelligi poteſt, quam homo natura tam diabolo inferior conſervare valuit, & diabolus ipſe nequivit.

II. Nos quoque ſuadet intrinſeca ratio. Nam utramque rationalem creatam naturam, ſcilicet tam Angelum, quàm hominem ab æterno Deus in præſenti providentia ad ſupernaturalem gloriam ordinavit: itaque utramque in ſtatu gratiæ, & amicitiæ cum Deo Deum ipſum creare, decens fuit. Tanto magis quia negari nequit, hominem in ſtatu gratiæ ſanctificantis creatum fuiſſe, uti patet in Tridentino (a) in decreto de peccato originali (b) ubi ſic: *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem, & juſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe, &c.* ubi notanda ſunt verba illa *in qua conſtitutus fuerat*, ly *in qua* relativum eſt ad ipſam gratiam, & ſanctitatem, quæ ex gratia oritur, & cum qua creatus fuit Adam, & quam poſtea turpiter amiſit per ſcelus illud omnibus notum: ſicuti accedit Textus Eccleſiaſtici (c) *Deus fecit hominem rectum*, ideſt in ſtatus gratiæ rectitudine creatum: quinimo paſſim ſic Sancti Patres, & Theologi ſentiunt. Igitur ſi homo tam Angelo in natura inferior in ſtatu gratiæ fuit creatus, a fortiori Angelum ſive bnnum, ſive malum propter nobiliorem naturam in eodem ſtatu gratiæ conditum fuiſſe, aſſerendum eſt. Et quia hujuſmodi gratia libertatem nunquam adimit, ſed illam in ſua indifferentia ſemper conſervat, ideo mali Angeli cacodæmones appellati ſunt, ob peccatum, quod patrare liberè potuere, & de facto adeò fædè conſumarunt.

III. Quamquàm non conſtet, Dominum Deum Angelis ſive bonis, ſive cacodæmonibus in primo eorum creationis inſtanti, eorumque prævia diſpoſitione gratiam Sanctificantem infudiſſe: cum enim Deus ſit abſolutus gratiæ ſuæ Dominus, quæ eſt donum omnino gratuitum naturæ creatæ indebitum; poterat ſiquidem nulla prævia diſpoſitione ex parte Angelorum, illam iis infundere in primo creationis inſtanti; attamen credibilius, & congruentius exiſtimo, Angelos per proprium liberum actum divina bonitate adjutum, ſe diſpoſuiſſe ad hujuſmodi gratiæ infuſionem: etenim in præſenti providentia Deus iis libertate, & ratione utentibus gratiam ſanctificantem non largitur, niſi prævia eorum diſpoſitione gratiæ priùs excitanti con-

(a) *Seſſ.*5.
(b) *Can.*1.
(c) *Cap.*7.

ſentiente, uti a Sacro Textu edocemur, *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*. Adde, quia ita cum omnibus ſervat, uti habetur ex Tridentino (*a*) *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo excitanti Deo, atque vocanti, quoad obtinendam juſtificationis gratiam, ſe diſponat ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, merèque paſſivè ſe habere, anathema ſit*. Quare ergo non potuerit Deus hanc eandem legem cum Angelis ſervare? qui ſe diſponere ad ipſam gratiæ infuſionem liberi fuerint, quæ tanquam forma juxta ſuam conditionem ſemper in diſpoſito ſubjecto introduci petit.

Ex quo ſequitur, incertum eſſe, an cacodæmones æqualem, vel inæqualem gratiam in primo eorum creationis inſtanti, & in toto viæ tempore habuerint: etenim nulla ratio id ſanè convincens apparet.

IV. Perveniamus igitur ad cacodæmonum viam. Et quidem nulla creatura rationalis atque intellectiva a Deo ad felicitatem æternam præordinata, illam niſi propriis operibus a præveniente ſupernaturali auxilio elevatis mereri, eamque propriis reatibus demereri juxta præſentem providentiæ ordinem poteſt, ac valet. Atqui cum cacodæmones, uti ſupra dictum eſt, ſint veræ intellectivæ, & rationales creaturæ, & a Deo ad æternam gloriam ordinatæ, ſed promerendam; neceſſariò ſequitur, fuiſſe in via creatos, ideoque verè viatores ſine clara Dei viſione, dumtaxat Beatis debita, quam promereri tenebantur. Idcirco hujuſmodi cacodæmones in primo eorum creationis inſtanti haudquaquam æternum cruciatum ſubiiſſe aſſerendum eſt, & in termino perennis miſeriæ creatos nullatenus putari poteſt; niſi Deum gratis ſemoto demerito perpetuam pœnam, æternoſque dolores illis contuliſſe aſſerere velimus, quod bonitati Divinæ omninò adverſatur. Adde, ſi boni Angeli cum gloria creati minime fuere, itaque mali neque cum dolore, & pœna. Antecedens hujus enthimematis penes cunctos Theologos conſtat cum Divo Thoma (*b*) unanimiter aſſerentes, Angelos omnes ſive bonos, ſive cacodæmones fuiſſe, profecto in ſtatu viæ poſitos; quandoquidem vero merito, & demerito dignos factos, legitur, quod ſtatus viæ proprium eſt, qui & ille ſtatus termini ſimul compati nequeunt: ideoque aſſeri nequit, creatos fuiſſe in ſtatu termini, ubi nullum

(a) *Seſſ. 6. can. 4.* (b) *Art. 1. qu. 62.*

lum meritum, & demeritum, ſed potiùs meriti, & demeriti præmium, & ſupplicium obtinetur.

V. Quinimo a fortiori hoc de cacodæmonibus viget, qui de facto infandum illud ſcelus patraverunt; quodque prorſus committi nequibat, ſi eorum creatio in beatificæ viſionis ſtatu acciderit, cum inter cæteros beatitudinis effectus ſit ipſamet impeccabilitas. Neque pariter, ut dictum eſt, eorumdem ad æternum cruciatum damnatio ex mera divina voluntate, quovis peccato ſemoto, proceſſit: nam hoc non ſolum præſentis providentiæ ordini, ſed ipſimet Deo abſonum videretur: at è contra certò eorum damnatio conſtat, itaque & peccatum: hoc autem eſſe nequit niſi voluntarium, quodque unicè ex totali indifferentia, & libertate oritur. Et hic ſtatus viæ eſt appellandus: igitur concluſio uti certò tenenda, cacodæmones verè fuiſſe viatores; ideoque obices omnes eidem adverſantes tanquam levis momenti exarari deſtituuntur.

VI. Hinc non ſine maxima admiratione, a Divo Thoma *(a)* doceor, cacodæmonum viam breviſſimam celeremque fuiſſe, nempè unum inſtans; in ſequenti verò inſtanti confeſtim bonos Angelos gloriam æternam, malos autem æternam miſeriam nactos fuiſſe, aſſeritur. (Si inſtans Angelicum bene intelligeretur, ut docet S. Tom. non eſſet maxima admiratio, ſed ſolida doctrina aſſerere, quod ipſe Magiſter tenet, & docet) Reliqui verò Theologi communiter duobus dictis inſtantibus aliud addunt, ſcilicet primum fuiſſe viæ; ſecundum, in quo bonos in meritorio actu perſeveraſſe, & cacodæmones è ſanctitate cecidiſſe; & tertium, in quo bonos gloriam, ſonteſque pœnam adeptos fuiſſe arbitrantur: licet prorſus ſit incertum hæc numerare momenta pro hujuſmodi conſtituenda via; tamen cum aliqua veriſimilitudine breviſſimam fuiſſe cacodæmonum, ſive bonorum Angelorum peregrinationem exiſtimo; forte quia nullum fuit obſtaculum, ut confeſtim poſt meritum, vel demeritum, gloriam, vel pœnam conſequerentur. Præterea conjecturare adhuc poſſumus, cacodæmones, Angeloſque cunctos ante creationem hominis creatos, ſicuti beatos, & damnatos cerminus. Quemadmodum ex Sacra Scriptura caſus Angelorum uti fulgur eveniſſe appareat; ſequitur, credibiliter hujuſmodi viam breviſſimam fuiſſe.

Q 2 VII.

(a) *Loco citato.*

VII. Nunc cacodæmonum ſcelus, & cujus generis fuit, aperiendum ſupereſt. Et excellens ille Theologus nomine appellatus Boetius (*a*) ſic ſupernaturalem felicitatem deſcribit, *eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus*, cui non diſſimilem Marcus Tullius Cicero, licèt Ethnicus, tamen ſolo naturali lumine ſuffultus, felicitatis naturam tradit (*b*), *eſt ſecretis malis cumulata bonorum poſſeſſio*: cum autem hujuſmodi felicitas veræ miſeriæ, atque triſtitiæ adverſetur, oppoſita definitio eſt, ut ſit cunctorum malorum cumulata poſſeſſio.

VIII. Cum itaq; inter noſtræ Chriſtianæ Religionis dogmata ſincero corde credenda, ſit hoc, cunctos Angelos ſive bonos, ſive malos in vero termino ſtatutos, bonos æterna gloria, atque ſupernaturali felicitate frui; malos verò æternum cruciatum, æternamque miſeriam pati, & primam bonos per actus virtute præditos, ſecundam malos per infanda facinora nactos fuiſſe, catholicus ſenſus aſſerit: igitur eos perperam agentes lethaliter peccaſſe, luculenter infertur. Quinimo ſepè fit mentio in ſacra pagina (*c*) ubi ſic legitur: *Quomodo cecidiſti de cœlo, Lucifer, qui dicebas in corde tuo: In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo.* Ezechielis (*d*) *Elevatum eſt cor tuum, & dixiſti: Deus ego ſum, in cathedra Dei ſedi.* Tobiæ (*e*) *Superbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio.* & potiſſimum in Apocalypſi (*f*) ubi expreſsè hujuſmodi peccatum narratur: quapropter cacodæmones peccaſſe pro comperto eſt.

IX. Dumtaxat difficultas viget, cujus generis hujuſmodi peccatum fuerit? In cujus ſolutione etſi pauci altercentur, tamen communis tum Theologorum, tum Sanctorum Patrum ſenſus eſt, cacodæmonum peccatum fuiſſe veram ſuperbiam, ſeu inordinatum propriæ excellentiæ amorem cum expreſſo comtemptu humilis ſubjectionis Chriſto Domino: cum ſanè doctrina hæc ſacræ Scripturæ conſona obſervetur, uti videre eſt in præfatis locis Iſaiæ (*g*) Ezechielis (*h*) & Tobiæ (*i*) ubi hujuſmodi peccatum commemoratur, immoderatum do-

(a) *In lib.2.de conſolazine.*
(b) *Lib.3. Tuſculan.*
(c) *Iſaiæ cap.14*
(d) *Cap.28.*
(e) *Cap.5.*
(f) *Cap.12.*
(g) *Cap.14.*
(h) *Cap.28,*
(i) *Cap.5.*

dominandi propriæ excellentiæ amorem referri videtur: quia ex hisce Scripturæ verbis, *exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti ; ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo, elevatum est cor tuum, & dixisti Deus ego sum, in cathedra Dei sedi, superbiam nunquam in tuo sensu, &c.* & cæteris locis, quibus Scriptura scatet, non obscurè, imo luculenter peccatum cacodæmonum præfati generis fuisse colligitur.

Adde, quia nullum aliud peccatum a diabolis patratum fuisse ; ex cogitare possumus: etenim peccatum carnale esse non potuit, quod ex oblectamentis sensuum, & sensibilium objectorum gigni debet, quibus cacodæmon tanquam substantia spiritualis omninò est incapax: itaque necessariò esse debuit verè spirituale peccatum in amore voluntatis ad bonum omninò spirituale consistens, quodque aliud non fuisse videtur, quàm propriæ excellentiæ inordinatus amor, ultra quem nullum aliud bonum in Angelica natura intrinsecum excogitabile esset, eorum voluntatem ad patrandum scelus prædictum potens movere.

X. Neque peccatum hoc, appetitum unionis Hypostaticæ, sive directò invidia in humanam naturam esse valuit. Nam quantum ad primum, unde habes, appetitum hunc in cacodæmonibus viguisse? siquidem nullibi exaratum liquet : præterquam quod appetere unionem hypostaticam, morale malum minimè præsumitur ; quoniam hujusmodi appetitus ad summum morale bonum terminari affirmaretur ; idcircò non videtur, quomodo ex hoc capite peccare potuerit. Quantum ad secundum, ut benè notat Divus Thomas, cacodæmonum peccatum fuisse vehementissimam in nostram naturam invidiam, sed hoc ad ipsam superbiam consequens fuisset ; ac proinde de primario, & per se cacodæmonum peccatum vera superbia fuit : quandoquidem ex immoderato propriæ excellentiæ amore, & excessiva propriæ perfectionis æstimatione, naturaliter sequitur tristitia, & dolor de bono, quod aliis concessum intuimur : cum ergo cacodæmones omnino inordinatè propriam excellentiam dilexerint, noscentes unionem hypostaticam esse summum bonum morale humanæ lapsæ naturæ concessum, vehementi dolore, & tristitia affecti fuere ; ideoque ex superbia adhuc invidia succensi.

Neque ille textus Sapientiæ (a) præfatæ doctrinæ obest, scilicet quod

(a) *Cap.2.*

quod *invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum* : Nam de illo invidiæ actu intelligitur, quem cacodæmon post suam damnationem pro humano genere labefactando dolosè exercuit.

XI. Quod autem hujusmodi peccatum tulerit quoque secum spretum humilis subjectionis ad Christum Dominum, existimo de hoc hæsitandum non esse; cum adhuc tam libenter revocari in dubium nequeat, Angelis cunctis fuisse revelatam futuram Divini Verbi Incarnationem: etenim non tam obumbratè doctrina hæc in sacro eloquio cernitur; sic Apostolus ad Hebræos(*a*) ubi legitur, ab initio Deum introduxisse Christum Dominum in mundum, ut ipse ab omnibus ejus Angelis adoraretur: *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Adorent eum omnes Angeli Dei*. Et sanè si Adæ hujusmodi Incarnationis futuræ revelatio præstita fuit, ut principem sui suorumque descendentium agnosceret, & congruè ei vera latriæ adoratione se submitteret; fortius id de Angelis putandum est, qui, utpotè elevatioris mentis, ad debitam submissionem, & adorationem Christo Domino præstandam aptiores reddebantur. Sic pariter multi & graves Theologi senserunt, Jacobus de Valentia (*b*) Ambrosius Catharinus in lib. de gloria bonorum Angelorum, & lapsu malorum, Dionysius Chartusianus (*c*) & cæteri, quos citat Gregorius de Valentia (*d*).

XII. Quare frustanea prorsus fuit opinio illa quorundam veterum, puta Irenæi, Tertulliani, Justini, Origenis, Lactantii, aliorumque, qui non benè de textu Genesis (*e*) *videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores*, arbitrati fuere Angelos amore mulierum captos per libidinem peccasse: quia nomine filiorum Dei, inquiunt, Angeli intelliguntur, qui deinde per amorem & libidinem cum hominum filiabus mali evaserunt. Quæ opinio ab omnibus Theologis rejicitur, utpote merum figmentum, verumque somnium; cum Angeli tanquam prorsus incorporei, ac proinde sensibilium, atque carnalium voluptatum minimè capaces sint: idcircò nomine filiorum Dei ibi Angeli haudquaquam venire dicuntur; quinimo uti multi sensati Scripturæ Interpretes, eos intelligendos esse asserunt, Enos, omnesque ejus descendentes: nam Enos nomen Do-

(a) *Cap.1.v.6.*
(b) *In expositione Psal.81.& 102.*
(c) *In 2.dist.5.q.1.*
(d) *Tom.1.q.14.puncto.3.*
(e) *Cap.6.ver.2.*

Domini Dei invocare primus cœpit, cæterique Enos filii atque descendentes, uti Genesis (a) legitur in fine: *Sed & Seth natus est filius, quem vocavit Enos: iste cœpit invocare nomen Domini*: quare hujusmodi Enos descendentes ob juge exercitium invocandi nomen Dei, quod habebant, & quia hi primò descendentes homines justi erant, & qui justi sunt a Scriptura filii Dei appellantur, ut Rom. (b) *Gloriamur in spe filiorum Dei*. (c) *Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei*: ideo dicti descendentes filii Dei a Sacra Scriptura nuncupati fuerunt.

CAP.

(a) *Cap.* 4.
(b) *Cap.* 5.
(c) *Cap.* 8.

CAP. IV.

De Cacodæmonum casu, & loco, unde projecti fuerint, necnon de pœna, qua puniuntur, eorumque naturæ æqualitate, atque principatu.

SYNOPSIS.

I. *Certum, imò de fide est, cacodæmonum casum è cœlorum statione in pœnam patrati sceleris contigisse. Ex quo consideratur, hoc superbiæ scelus patientiam divinæ misericordiæ non meruisse.*

II. *Cacodæmonum scelus, quia circa intentionem inæquale fuit, ideo inæqualem non solum pœnam, sed etiam inæqualem locum sortitum fuerit; nempe quosdam eorum in aerem, quosdam in terram, quosdam subter terram, idest in infernum cecidisse, ex sacris litteris inferri potest.*

III. *Duo loca a Divo Thoma cum Theologis cunctis pro cacodæmonibus assignantur, unus æternus, & alter temporaneus usque ad universale judicium, ubi adhuc eos judicaturos esse, eloquia sacra non obscurè produnt.*

IV. *Licèt innumerabiles cacodæmones modò extra infernum in aere scilicet, & in terra extent; tamen adhuc ignis cruciatu torquentur, & quomodo hoc accidat, mihi nimis arridet, quod asserit Beda.*

V. *Solvitur quædam objectio a nonnullis allata: & locus ille cacodæmonum temporaneus usque ad mundi finem, ex divina ordinatione statutus dicitur.*

VI. *Sicuti actio moraliter bona præmium, ita moraliter mala pœnam expostulare necessariò debet, & summa creaturæ rationalis damnata infelicitas, damni, & sensus est, & utraque quid sit, enucleatur.*

VII. *Utramque pœnam cacodæmones subire, sicuti animæ rationales damnatæ subeant, de fide constat.*

VIII. *Summum litigium est penes Theologos circa modum, quo torquentur ab igne, cum cacodæmones, animæ spirituales da-*

damnatæ substantiæ corporeæ non sint : ideo erga hoc varii Theologorum arbitratus exponuntur.

IX. *Paucorum Theologorum sensus erga hunc modum, quo torquentur dæmones, mihi magis arridet. Et in cæteras pœnas est illa, inter cacodæmones non ordinem servare, inferioris, & superioris, subditorum, & principatus.*

X. *Cacodæmones esse ejusdem naturæ affirmatur.*

XI. *Licèt eadem natura polleant, tamen non eadem intensivè pœna plectuntur.*

XII. *Cacodæmones cujusvis perfectionis, honoris, principatus, & subjectionis sunt prorsus expertes.*

I. Hujusmodi cacodæmonum casus è cœlorum statione non ab humano tantùm dictamine prodit, sed a fide quoque divina statuitur, uti in citato textu Isaiæ (*a*) constat: *Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer*. Et Apocalypsis (*b*) *Et factum est prælium magnum in cælo, Michael, & angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli ejus: & non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cælo: & profectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas, qui seducit universum orbem: & projectus est in terram, & angeli ejus cum illo missi sunt.* Relictis cæteris pariter Sacræ Scripturæ textibus evidenter eundem lapsum affirmantibus, ad locum, in quem projecti fuerint, excogitandum deveniam.

II. Inæquale delictum proportionalem expostulat pœnam: cum igitur cacodæmones non ejusdem æqualitatis, & intensitatis patravere peccatum, non solùm pœna, sequitur, sed etiam loco inæquali fuisse dignos: etenim Sacræ literæ, quosdam in aerem, quosdam in terram, quosdam verò subter terram, scilicet in infernum cecidisse, testantur. Sic ad Ephesios (*c*) Apostolus ait Diabolum *Principem potestatis aeris hujus*: & (*d*) cacodæmones nominat *Mundi rectores tenebrarum harum, & contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*, scilicet in locis aereis: & ideo Judas in sua epistola canonica, *Dæmones*, ait, *vinculis quibusdam sub caligine detentos reservari*; quod nomen, uti Augustinus inquit

R

(a) *Cap.14.*
(b) *Cap.12. vers.7.*
(c) *Cap.2.ver.2.*
(d) *Cap.6.ver.12.*

quit (*a*) aerem iſtum caliginoſum indicat. Quod alii in terram ceciderе, patet Job (*b*) ubi ait Satan, *circuivi terram*, *& perambulavi eam*. Ezechielis(*c*) *perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo*, *in terram projeci te*. Apocalypſis (*d*) *tertiam partem Stellarum miſit in terram*. (*e*) *diabolus projectus eſt in terram*, *& Angeli ejus cum illo miſſi ſunt*. (*f*) *væ terræ*, *& mari*, *quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam*, & alibi paſſim. Cæteri verò ſubtus terram fuerunt projecti, ſcilicet in infernum, adhuc liquet Iſaiæ (*g*) ubi poſtquam dictum eſt *quomodo cecidiſti de cælo Lucifer*, (*h*) ſubditur, *veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci*: nomine autem *inferni* locus ille ſubterraneus intelligitur, (*i*) ejuſdem capitis *detracta eſt ad inferos ſuperbia tua*. (*k*) *Sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*. Sic communiter Theologi, & Sancti Patres; quinimo hæc de cacodæmonum loco doctrina communis in Eccleſia ſemper fuit. Necnon quodammodo hujuſmodi locorum diverſitas adhuc a ratione ſuadetur: etenim, ut modò diximus, inæqualitati peccati intenſitatis ex inæqualitate conſenſus provenienti, inæqualis pœna quoque correſpondere debebat. Hæc autem locorum diverſitas inter alia pro pœna conſtituta ſupponitur.

III. Neque dicas, cacodæmones omnes eſſe in inferno, ſicut Sanctos Angelos omnes eſſe in Cœlo. Nam Sanctus Thomas (*l*) duplicem tam Sanctorum Angelorum, quàm malorum locum aſſignat. Alterum eſſe, ait, qui meritis eorum reſpondet; ex quo Sanctorum Angelorum locus eſt cœlum, & dæmonum omnium locus eſt infernus. Alterum eſſe, ex peculiari Dei ordinatione propter homines facta; & hoc pacto innumerabilium Sanctorum Angelorum locus eſt apud homines, quibus cuſtodiendis, & regendis præficiuntur, & non inferiori numero dæmonum penes eoſdem homines locus pariter habetur, eoſque ad peccata tentando ſollicitant. Hujuſmodi autem ultimus locus tam Sanctorum, quàm malorum non eſt æternus, ſicuti erit ille empyrei, atque inferni, ſed temporaneus, qui finem obtinebit poſt factum illicò univerſale judicium, in quo adhuc cacodæmones omnes erunt judican-

(a) *Lbi.3.de Geneſi cap.10.*
(b) *Cap.1. & 2.*
(c) *Cap.28.*
(d) *Cap.12.*
(e) *Et ver.9. ejuſdem capitis.*
(f) *Et ver.12.*
(g) *Cap.14.*
(h) *In ver.15.*
(i) *Ver.11.*
(k) *2.Petri cap.2.*
(l) *Parte 1. qu.64. art.4.*

candi: hoc ſtatim effecto, hi locum inferni æternum ſubibunt. Quare hujuſmodi cacodæmones veluti in carcere incluſi, in hunc aerem, vel terram dejecti uſque ad diem mundi finalem, uti haud obſcurè ſacra eloquia teſtantur, ſecunda Petri (a) *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reſervari*. Et Judas (b) *Angelos verò, qui non ſervuverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium in judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſervavit*.

IV. Ex quibus verbis duo notanda eruuntur. Alterum eſt, cacodæmones adhuc in judicio univerſali magni diei judicandos eſſe, & ideo extrà locum proprium, ideſt extra infernum ſpecialiter ſervari, ad quem deinde deventuros completo judicio. Dixi *ſpecialiter*, non ad excludendos eos in inferno projectos, qui ſanè quoque in judicio univerſali ſunt judicandi ob generalem textus ſacri loquelam; ſed quatenus iſti in terra, vel aere perſeverantes, ob inſidias, quas paſſim hominibus ordiuntur, magis confuſos, & victos ſe agnoſcant. Alterum vero eſt, licèt cacodæmones illi extra inferni locum in aere, ſive in terris extent, non perinde eſt, & tormentis flammarum non cruciientur, uti ſentit Beda (c) de diabolo, & angelis ejus dicens, *propter quos gehenna facta eſt; & qui ubicumque, vel in aere volitant, vel in terris, aut ſub terris vagantur, ſive detinentur, ſuarum ſemper ſecum ferunt tormenta flammarum, inſtar febricitantis, qui etſi in lectis eburneis, etſi in locis ponatur apricis, fervorem tamen, vel frigus inſiti ſibi languoris evitare non poteſt; ſic ergo dæmones etſi in templis colantur auratis, igne ſemper ardent gehennali*.

V. Adverte tamen, quod licèt in textu modò citato Divi Petri obſervetur, omnes cacodæmones in tartaro atque inferno reſervari, & non in aere, vel in terris, uti nuper diximus; hoc tamen intelligitur non ratione loci, ſed ratione pœnæ, quam ſubſtinent, perinde ac ſi propriè in inferno cruciarentur. Eodemque pariter ſenſu Textus ille Judæ intelligendus eſt.

Ex dictis, luculenter ſolutio præfati obicis infertur, quem nonnulli adducere conantur, ſcilicet dæmones omne eſſe in inferno; ex eo quia Sancti Angeli omnes ſunt in cœlo. Nam falſum eſt, Angelos Sanctos omnes eſſe in cœlo, cum tot millia millium hominibus dati

R 2 ſint

(a) *Cap.2.*
(b) *In Epiſt.catholica ver.6.*
(c) *In Epiſt.Jacobi cap.3.*

fint ad nos cuftodiendos; quare cuftodum nomen obtinuerunt, uti Ecclefia univerfalis obfervat, & ab omnibus fervari mandat; quinimo nonnulli primi fubfellii Theologi autumant, prædictam Angelorum cuftodiam, non folum hominibus in univerfum datam, fed huic vel illi homini elargitam a Deo, de fide habendum.

VI. Quemadmodum actio moraliter bona fui natura condignum præmium reportare debet, ita actio moraliter mala, feu delictum fui natura debitam pœnam obtinere tenetur: ea de re ficuti beati Angeli ad bonum, quod operati fuere, negotium æterna facti funt digni felicitate, ita cacodæmones ob turpe peccatum, quod patravere, æternum inferni experiuntur fupplicium. Aft antequam gradum faciam, in quo eorum pœna confiftat, fcire opus eft, veram fummamque damnatæ creaturæ rationalis infelicitatem, duplicem includere pœnam, damni fcilicet, & senfus. Pœna damni in æterna fanctitatis claræque Dei vifionis privatione confiftit: Pœna autem fenfus in fenfibili paffione ab igne infernali caufata fundatur.

VII. Quapropter creaturam rationalem damnatam hanc damni pœnã fubire poffe, nullatenus dubitatur: ex eo quia ficuti Angeli boni æterna beatifica vifione Dei in præmium fruuntur, ita ejufdem vifionis privatione in pœnam cacodæmones expertes fiunt. Quod pariformiter pœnam fenfus, nempe illam fenfibilem paffionem ob igne infernali productam malos Angelos pati, certum omninò eft, imo de fide conftat: quoniam inter tot tantofque Sacri eloquii textus hanc fenfus pœnam oftendentes, elucet ille Matthæi (a) *difcedite a me maledicti, ite in ignem æternum, qui paratus eft diabolo, & Angelis ejus*; quemadmodum, & Apocalypfis (b) *Beftiam five draconem cum fequacibus perpetuò torqueri in ftagno ignis*; & Lucæ (c) *Dives cum effet in tormentis fepultus in inferno, exclamavit, crucior in hac flamma*: igitur de hac veritate quoque in quamplurimis generalibus fynodis definita hæfitare non poffumus, fcilicet cacodæmones, ficuti rationales damnatas animas revera ab igne infernali torqueri.

VIII. Pro hac tamen re non parum Theologi diffident circa modum, quo ab igne torqueantur: quandoquidem ignis tanquam materialis fubftantia nonnifi objectum adhuc materiale torquere, aut comburere valet; cacodæmones autem, five rationales animæ cum fint

qua-

(a) *Cap.*21.
(b) *Cap.*20.
(c) *Cap.*16. *ver.*24.

quavis materia expertes, utpote substantiæ merè spirituales, objecta ignis esse nequeunt. Idcirco nonnulli arbitrati sunt cacodæmones ab igne torqueri per falsam quandam apprehensionem, qua ignem uti sibi noxium apprehendunt, sic Deo permittente. Quod non est probabile, quia non videtur quomodo cacodæmon in hunc crassum errorem incidere possit apprehendendo uti sibi noxium, quod revera tale non est, cum eorum intellectui prorsus ab omni materia depurato hujusmodi error repugnare videatur.

Alii opinati sunt, cacodæmones ab igne torqueri ratione alligationis, quatenus a Deo allegati sunt igni tanquam eorum habitaculo, quod in eis maximum dolorem tristitiamque causat, utpotè eorum naturæ summopere dissonans. Et hoc quoque parum arridet, quia hujusmodi alligatio ad aliquem locum, quem inhabitare cacodæmones coguntur, Divinæ Scripturæ, & Patribus minimè consonat, qui de vero ignis tormento loquuntur; quoniam locus hujusmodi uti quid merè exrinsecum ipsi substantiæ spirituali nullum tormentum afferret.

Cæteri verò Theologi putaverunt, cacodæmones torqueri ab igne, quia iste a Deo elevatus, in iis qualitatem supernaturalem & spiritualem gignit, ratione cujus torquentur. Hæc quoque opinio insufficiens est, quia hujusmodi qualitas supernaturalis aliquid ignis prorsus non est; idcircò adhuc Scripturæ, & Patribus dissonat, asserentibus, dæmones a proprio igne torqueri.

Magna autem Theologorum pars asserit, cacodæmones torqueri ab igne per calorem, & veram combustionem, quam ignis in iis producit, sicuti in corporibus; hoc autem discrimine, ut ignis in corpus per naturalem sui virtutem agat; in spiritum verò per potentiam obedientialem activam ex parte ignis, qua elevatur ad ita agendum, & per potentiam obedientialem passivam ex parte Spiritus, qua elevatur ad ita patiendum. Tamen hujusmodi Theologorum sensum prorsus propugnare nequeo: etenim ignis revera substantias illas merè spirituales ab omni penitus materia remotas nec calefacit, nec comburit: & hoc non solùm verum est attenta naturali virtute ignis, sed etiam verissimum puto, adhuc attento igne uti elevato per hujusmodi virtutem obedientialem activam (quæ licet a nonnullis non admittatur; tamen ego eam fortiter alibi substineo), qua etsi quælibet creatura elevari possit uti instrumentum divinæ omnipotentiæ ad producendum

dum quodlibet non repugnans adesse, ad quam productionem dumtaxat naturalem improportionem haberet, scilicet secundùm naturæ vires, quæ non sufficiunt ad id producendum, a Deo suppleri possunt ad operandum ultra earum virtutem, uti legitur Ecclesiast. (a) *in omni necessitate omnia obediunt Deo*. Et Sapientiæ (b) *ignis valebat supra suam virtutem, & aqua extinguendi naturæ obliviscebatur*. At non quando improportio sit essentialis, quatenus ad id producendum essentialiter ad esse repugnat, quod in casu nequidem per divinam omnipotentiam suppleri possit, ob incapacitatem termini, sive subjecti; uti esset per modum exempli, oculus corporeus nec etiam per divinam omnipotentiam elevari potest ad ipsum Deum videndum: quare? quia est improportio essentialis inter potentiam visivam, & Deum: etenim obiectum formale specificans corporalem visionem est coloratum lucidum, & Deo esse coloratum lucidum essentialiter repugnat. Ita & in casu nostro: quoniam objectum formale specificans calefactionem atque combustionem est ipsum materiale corpus, quo Angelus sive bonus, sive malus est essentialiter incapax; & ideo quod essentialiter repugtat, a Deo suppleri nequit, ex defectu creaturæ, seu termini: posset utique elevari ignis tanquam istrumentum divinæ potentiæ ad producendum homines, plantas, leones, & quid simile; quæ omnia ideo ignis naturaliter seu sua virtute (idem dicas de qualibet creatura) producere nequit; quia defectus est in genere naturæ, scilicet in genere causæ efficientis: quæ autem naturalis incapacitas demitur, quando creatura illa, seu ignis a Deo elevatur, quodque in defectu, seu in incapacitate essentiali nullatenus suppleri nequit.

IX. Demum cæteri Theologi asserunt, cacodæmones, sive animas separatas, ab igne infernali torqueri ratione tristitiæ, & doloris interni vehementissimi a Deo extraordinariè & supra naturæ ordinem caussati. Et quorum sensus mihi semper arrisit: etenim, uti in sacra Scriptura cernitur, ignem intrinsecam tristitiam, internamque passionem in iis causare, cujus tristitiæ, passionis, atque interni doloris utique Angelus sive bonus, sive malus capax est, tanquam substantia spiritualis viva, & non mortua; sunt etenim passiones propriè spiritus, uti illud Lucæ (c) *crucior in hac flamma*. Tanto magis, quia sic benè salvatur, quomodo mali Angeli, quamvis extra infernum positi, tor-

(a) *Cap.* 42.
(b) *Cap.* 16.
(c) *Cap.* 16.

torqueantur, orbem vel aerem perambulantes, suumque infernum secum portantes, juxta ea, quæ paulò ante dicta sunt.

X. An cacodæmones sint naturæ, & dignitatis æquales, vel unus eorum sit altero perfectior? Maximum, quod inter Theologos viget jurgium, inquirendo, utrum Angeli inter se specie differant, an numero tantùm, jam mihi constat: quemadmodum Divi Thomæ, cunctorumque ejus sectatorum sensum nosco, quem esse affirmativum, scilicet cunctos inter se Angelos specie differre; adeo verum citatus Doctor (a) & alibi ita esse existimat, ut impossibile sit, rem aliter se habere, nempe duos eadem specie constitui, soloque numero differre. Tamen ab hoc Divi Thomæ sensu complures cæteri minime inferiores Theologi discrepant, oppositum efficacissimis rationibus quoque suadentes, inter quos Divus Bonaventura (b), Albertus Magnus (c), Scotus, Vasquez, Cardinalis Pallavicinus, aliique innumeri Recentiores. Augustinus verò libro contra Origenistas, & Priscillianistas ad Orosium (d), & Damascænus (e) hoc omninò obscurum esse ajunt; ideo Damascænus citato loco de Angelis scripsit, *hac de essentia quidem æqualis, naturæ inter se indispares sint, haudquaquam comprobatum habemus: solus ille scit, qui eos creavit, Deus, quique omnia perspecta, & explorata habet.*

Nihilominus sententia Divi Bonaventuræ, aliorumque mihi magis probatur: quare rationes positam doctrinam probantes, easque Divi Thomæ suorumque responsa solventes, & rejicientes penes citatos Doctores videri possunt; dumtaxat hic inter cæteras Sanctorum Patrum authoritates, quas hic referre possem, opinionem hanc tuentes, illam Sancti Basilii referam (f) contra Eunochium, quæ sic habet, *inter Angelos differentia est ordinis, & dignitatis, tamen ejusdem naturæ sunt omnes, sicut ejusdem appellationis*; quem secutus est Damascænus semoto dubio (g) ubi affirmat, *omnium Angelorum unam esse naturam*. Quapropter, Angelos natura non differre, sed dignitate, & ordine, ut citatus Pater asserit; itaque solo numero differre, tanquam omnes ejusdem speciei, seu ejusdem naturæ, concludendum puto.

Ex

(a) 1. *par. q.50. art.4. & q.75.*
(b) *In 2. distint.5. par.1. art.2.*
(c) 2. *par. tract.2. q.8.*
(d) *Cap.11.*
(e) 2. *de fide cap.3.*
(f) *Lib.3.*
(g) *Lib. primarum institutionum cap.1.*

Ex hoc igitur poſito idem evidenter de cacodæmonibus infertur, eos eſſe omnes ejuſdem naturæ atque æquales, nec unum altero natura eſſe perfectiorem; quandoquidem per peccatum natura eorum mutata non eſt, nec mutari potuit juxta ea, quæ ſupra dicta ſunt.

XI. Hinc cacodæmones licèt ſint, ſicuti arbitror, natura æquales; tamen non ſunt æquales pœna, cum majorem minoremque cruciatum patiantur, juxta majus minuſve, quod patravere, demeritum: etenim peccati conſtitutiva ſunt intellectus cognitio, & voluntatis deliberatio erga turpe objectum; ſequitur, ubi major intellectus cognitio erit, ibi major deliberatio voluntatis, ibique majus peccatum. Cacodæmnes verò ob eximiam eorum intelligentiam in majùs facinus declinavere, quodque inæquale eſt, non ob inæqualem, quam habuerunt agnitionem (cum a nobis natura æquales ſupponantur) ſed ob inæqualem, quem ad eorum culpam præbuere, conſenſum, qui magis in uno, quàm in altero intenſiùs circa ſcelus eorum eſſe potuit.

Neque dicas, homines omnes ejuſdem naturæ ſunt, & tamen eadem intelligentia haud præditi viſuntur: a pari igitur de cacodæmonibus diſcurrere oportet.

Nam falſum eſt quod infertur conſequens, cum lata ſit diſparitas inter homines, & Angelos; quoniam homines ideo ſunt majoris, vel minoris intelligentiæ, quia inſtrumentis corporeis induuntur, quibus neceſſariò anima rationalis utitur ad humanas exercendas functiones, quas ſine illis umquam exhibere valet: quapropter inſtrumenta illa ubi magis, vel minus ſunt diſpoſita, apta, atque perfecta, magis quoque, vel minus perfectæ actiones ab anima rationali exercentur; & ideo quiſque grandis, ſive grandioris intelligentiæ nominari ſolet, ſi perfectam, aut perfectiorem illam partem organicam, qua pro intelligentiæ uſu anima utitur, contineat: quare celebriores Philoſophi, adhuc Recentiores, animas ſeparatas omnes eſſe naturaliter ejuſdem intelligentiæ & capacitatis ob ſublatum corporis obicem, arbitrantur. Non ſic & Angeli ſive boni, ſive mali, tanquam puri ſpiritus, cujuſvis compoſitionis & materiæ ſunt expertes juxta ſupra notata, ideoque immediatè per eorum naturam ſine ullo inſtrumento corporeo, atque obſtaculo organico, intelligunt.

XII. Demum cacodæmones nulla pollere perfectione præter illam, quam continent naturalem, certum eſt. Neque pariter dignitate & ho-

nore fruuntur; quoniam ut ait Aristoteles (a) *Honor est præmium virtutis*, qua cujusvis generis penitus ipsi carent, utpotè malitiæ, vitiorumque fontes; quare meritò Plato (b) scripsit: *Malorum nihil est honorandum*. Neque tandem principatu superioritate, subjectione inter se gaudent; quæ enim omnia eorum natura directionem, & ordinem secum ferrent: hac autem directione, & ordine penitus cacodæmones tanquam morti æternæ damnati privantur; ideo Job (c) sic infernum nominat, *terram miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*. Quod autem Apostolus (d) Diabolum appellat *Principem potestatis aeris hujus*, &(e) cacodæmones nuncupat *Mundi Rectores tenebrarum harum*; hac de re audi Augustinum sic loquentem super Psal. (f) *Apostolus dicens, non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes, Potestates & Rectores Mundi tenebrarum harum; ne fortè cum dixisset Mundi, intelligeres Dæmones esse Rectores cœli, & terræ: mundi dixit, tenebrarum harum: mundi dixit, amatorum mundi: mundi dixit, impiorum, & iniquorum: mundi dixit, de quo evangelium dicit; Et mundus eum non cognovit*; quatenus homines scelesti peccato servientes, satanæ potestati quodammodo traduntur.

S CAP.

(a) 8. *Eth.*
(b) 5. *de leg.*
(c) *Cap.* 10. *ver.* 22.

(d) *Cap.* 2.
(e) *Ad Ephes. cap.* 6.
(f) *In psal.* 54. *ver.* 1.

CAP. V.

De intellectu Cacodæmonis, seu ejus interiori intellectiva virtute.

SYNOPSIS.

I. *Si rationalis anima intellectu, voluntateque gaudet; fortiùs cacodæmon iisdem pollere debet.*

II. *Virtus ipsa intellectiva ab intelligente substantia minimè distinguitur, ad discrimen materialis substantiæ.*

III. *Hujusmodi intellectiva substantia speciebus intelligibilibus, ut actu intelligat, non eget.*

IV. *Objectum formale intellectus est verum uti verum, seu apparens, quodque est duplex, universale scilicet, & particulare.*

V. *Cacodæmon per suum lethale peccatum nihil eorum, quæ sunt ei naturalia, omisit.*

VI. *Intelligentia cacodæmonis erga objecta (excepto Deo) non est enigmatica, sed intuitiva.*

VII. *Longior est abstractiva cognitio de Deo in cacodæmone, quàm in homine, ut intelligentia inferiore.*

VIII. *Cacodæmon totam naturam creatam præcipuè inferiorem, corpora cœlestia elementaria, mixta, viventia, non viventia, singulas rerum species, scientias omnes, artesve, aliaque naturalia perfectè noscit, atque intelligit.*

IX. *Singulorum individuorum cujuslibet speciei numerum dæmonem nescire opinor.*

X. *Quid nomine futuri intelligitur, & quotuplex est ejus acceptio, detegitur.*

XI. *Notitia futurorum merè contingentium atque indifferentium, sive naturalium, sive liberorum, cacodæmonem omnino carere, sed tantum Deum pollere, dogma de fide est.*

XII. *Præfata doctrina quoque intrinseca ratione ostenditur.*

XIII. *Adversùs præfatam doctrinam objectio proponitur, quæ apprimè luculenter solvitur: ubi æquivocus loquendi usus cacodæmonis erga prænotata futura contingentia aperitur.*

XIV. *Cacodæmonem esse verum Astronomum, minimè verò Astrologum, clarè probatur: idcircò penitùs notitia futurorum con-*

contingentium carere concluditur.

XV. *Non solùm de hoc, vel illo futuro contingente, sed prorsus de omnibus cacodæmonis ignorantia viget, licèt conjecturalem quandam agnitionem quorundam eorum habere possit.*

XVI. *A fortiori fatendum est, cacodæmones cunctos natura sua cordis arcana omninò ignorare, tanquam dogma de fide.*

XVII. *Hujusmodi catholica doctrina ratione intrinseca ostenditur; & cui adversatur objectio, solvitur.*

XVIII. *Secretum cordis ens mobile naturale, seu physicum esse nequit; licèt ens mente excogitatum, seu quid intellectuale appellari possit.*

I. Ex hisce omnibus peractis luculenter apparet, cacodæmones esse verè substantias spirituales a parte rei existentes, viventes, & intellectivas, propriamque intrinsecam atque immanentem intelligendi virtutem continentes, instar animæ rationalis, quæ istis potentiis pollet, intellectu scilicet & voluntate, cum adhuc sit natura cacodæmonis inferior.

II. Pro cunctis autem explanandis præferendum est quoddam philosophicum axioma, quamcumque scilicet creatam substantiam immediatè non operari, sed mediantibus suis potentiis, seu virtutibus, quibus præditam, effectum gignere. Tamen hoc modo doctrinam hanc substinendam esse opinor, quod materialis substantia (secundùm Aristotelem) ut illas tanquam qualitatum, & quantitatum accidentia a se distinctas habeat (quodque Recentiorum Atomistarum, aliorumque sensui adversatur); substantia vero spiritualis penitus indistinctas easdem continet; quemadmodum virtus intelligendi in anima, seu ipse intellectus non est entitas, neque ab anima ejusque entitate, neque a cæteris suis potentiis distincta, uti perperam in tractatu de anima nonnulli existimant: pari modo & ipsa virtus, seu activitas intellectiva diabolicæ substantiæ ab eadem distingui prorsus nequit, sed ipsamet immediatè objectis intelligendis fertur: etenim si attentè perpendamus, in eadem intelligendi virtute ipsamet natura, seu essentia cacodæmonum consistere videtur.

III. Præterea non satis constat, dæmonem non posse objectum ullum a se distinctum actu intelligere sine concursu speciei intelligibilis complentis suum intellectum in ratione causæ adequatæ productivæ;

ipſamet autem ſpecies intelligibilis eſt ſpiritualis qualitas; & formalis imago repræſentati objecti diabolico intellectui impreſſa, tanquam partialis cauſa intellectionis objecti. Nam nulla efficax ratio hanc neceſſitatem fundat; quandoquidem virtus hæc cacodæmonis intellectiva, utpotè ſpiritualis, ſola ſui applicatione ad objectum intelligendum immediatè ferri poteſt: quare præfata intelligibilis ſpecies uti ſuperflua reicienda eſt. Quinimo ſi hujuſmodi ſpecie egeret, adhuc illam ad cognoſcendum ſeipſum expoſtularet, quæque a nemine ſanæ mentis admittitur, & ceu fruſtranea pellitur: atqui cum nulla major ratio ſit de cæteris intelligendis, quam de ſeipſo, tanquam ſuæ cognitionis objecto: itaque veritati magis conſona doctrina hæc aſſerta videtur.

IV. Subſtantiæ huic diabolicæ intellectus, ſeu virtus iſta ad intelligendum ad luculenter ſeipſum, atque quæcunque objecta a ſuo eſſe ſemota intuendum deſervit: etenim objectum formale intellectus eſt verum uti verum, ſive verum apparens; quodque autem dupliciter intelligi debet, univerſale nempe, & particulare. Verum namque univerſale intellectum uti ſapientem ſpecificat; Verum tamen peculiare illum uti ſcientificum dumtaxat determinat: idcirco callens nominatur dæmon, quia verum in genere intellectu ſuo intelligentia pleno percipit, ideoque maximè ſcientificus eſt nominandus.

V. Eſt igitur ſumma animadverſione notandum, dæmonem per ſuum peccatum minimè amiſiſſe illa, quæ ſunt ei naturalia, potiſſimum ex parte intellectus: nam, ut ſupra dicebam, in eadem virtute intelligendi, cacodæmonis natura potiſſimum conſtituta videtur; qua de re ſi per peccatum ejus ſcientia deſtrui debebat, ipſamet eſſentia dæmonis, imò idem dæmon erat deſtruendus: ac proinde etiam poſt lethale ejus mendum, totam ſcientiam naturaliter ei debitam ſiquidem retinet. Etenim peccatum nullius naturæ eſt deſtructivum, ſed divinæ gratiæ ſolummodo expulſivum, tanquam ei eſſentialiter oppoſitum, ſeu prorſus cum ea incompatibile. Neque deinde ulla ratio apparere poteſt, quare dæmon per ſuam culpam a ſe patratam, ſuam amiſerit ſcientiam, aliaque ei naturaliter debita.

VI. Modum, quo dæmonis intelligentia circa objecta notatur, ex dictis utique infero, illam ſecundum intrinſecam ſui exigentiam haud eſſe ænigmaticam, abſtractivam, ſeu obſcuram, ſed prorſus claram, & intuitivam declarare tenemur: etenim nullum eſt excogitabile im-

pedi-

pedimentum exterius, interiusve, quo clarè, & intuitivè cuncta creata objecta percipere nequeat. Tantomagis quia huic naturæ spirituali dæmonis utpote undequaque perfectæ in genere naturæ creatæ modus integer, & clarus intelligendi spectare debet. Unum dumtaxat a dæmone intuitivè objectum minimè agnoscitur, nempè summa, & increata majestas Dominus Deus; quoniam intuitiva Dei cognitio aliud non importat, quam ipsa Dei visio beatifica, quæ naturaliter nulli puræ creaturæ debita esse constat, præcipuè cacodæmoni ob suum patratum scelus, cum quo quævis supernaturalis beatitudo incompatibilis prorsus est.

VII. Licèt substantia hæc spiritualis dæmoniaca de Deo agnitionem confusam atque abstractivam habere non sinat: quandoquidem si a posteriori, seu ex creaturis procul dubio homo (est valde cacodæmonis natura inferior) Deum existere tanquam ens omnibus possibilibus perfectionibus prædium, omniumque excogitabilium imperfectionum omninò expertem suo ratiocinio rectè agnoscere valeat; fortius est hæc vis, seu facultas dæmoni tribuenda, uti a materia haud impedito imò penitùs alieno, Deum percipiendi atque agnoscendi, atque de eo maximam cognitionem licèt abstractivam sibi concedendam unusquisque sanè ita indicat; cum longior sit hæc cognitio etsi abstractiva de Deo in dæmone, quam in homine. Et sanè omnimoda, & invincibilis de Deo ignorantia tanquam possibilis non sit admittenda; uti unanimiter fatentur Theologi, cum Dei existentia, ejusque attributa, atque perfectiones non adeò probentur, quàm evidenti ratione ostendantur: igitur cacodæmonibus attenta eorum natura abstractiva de Deo hujusmodi cognitio profectò tribuenda videtur.

VIII. Jam verò ab instanti creationis suæ cacodæmonem secundùm sui vires plurium semper tenuisse, atque tenere scientiam, totius nempæ naturæ creatæ, & præcipuè inferioris, corporum cunctorum cœlestium, elementorum, mixtorum, viventium, non viventium, singularum rerum specierum; itidemque pollere notitia scientiarum omnium, artiumque illarum adhuc, quas homines eorum industria adipisci solent. Hæc namque universalis exigentia ad integritatem intellectivæ naturæ pertinet, quæ ad eadem intellectione in actu secundo perficitur, cui esset gratis circa ejus naturam totam intellectivam, penitusque a materia semotam defectus tribuendus. Tanto magis si humanus intellectus adeò illo inferior, & tamen cuncta præfata perpen-

dere

dere valeat, fortiùs itaque dæmon summopore intelligens hæc omnia capere potest. Et sanè posita in cacodæmone omnium relatorum inscitia, quæro, unde hæc esset insurgenda? non ex ipsa dæmonis intellectiva substantia, quæ tanquam integra in ratione naturæ, & minimè per peccatum est imminuta, uti jam supra constat: non ex ipsis objectis intelligibilibus, cum nulla sit major ratio de uno, quàm de alio intelligibili objecto, idcirco vel omnia, vel nullum cognoscere Deberet: non demum ex Dei voluntate, cum nullum sit in Sacro eloquio vestigium, ex quo id erui valeat; imo uti naturæ totius Author illam secundare tenetur: itaque si cacodæmon hæc omnia noscit, non est quare ea ab instanti creationis non noverit, cum sit ipsamet sua natura intellectiva, quæ semper ab eodem creationis instanti eadem fuit.

IX. Verùm singulorum individuorum cujuslibet speciei numerum, paritatem, atque disparitatem, eorumque modum creandi, & quid simile, cacodæmonem semper ignorasse, & ignorare, quisque catholicus sanæ mentis fateri tenetur; puta quot nempè culices, quot cimices, quot cinifes, quot maris arenarum exigua, quot esse cælorum sidera, quot demùm singulas res numericas creatas penitùs scire non posse: etenim hic distinctivus intuitus solius infinitæ divinæ mentis character est nominandus, juxta Sacrum textum (a), *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*. & in quinto ejusdem Psalmi versiculo, *Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientiæ non numerus*: & per hoc haud læditur dæmonis scientia, quæ tanquam creaturæ suis limitibus necessariò affecta esse debet: notio autem disparitatis, atque paritatis unitatum rerum ex cognitione numeri ipsarum utique oritur: quemadmodum creare solius divinæ omnipotentiæ est attribuendum, & cacodæmon id, quod est ei incompetens, sine temeritatis nota appetere nequit; quare cacodæmonis intelligentia erga prædicta objecta pariter ab illa Dei palam discriminatur, nempe ex parte modi concipiendi objecta tum intensivè, tùm extensivè ex objectorũ multiplicitate, ut jam exposuimus.

X. De præterito tempore dumtaxat & de præsenti cuncta præfata affabrè intuetur dæmon; quid autem sit de futuro, recta methodo discutiendum erit? Nomine igitur futuræ rei non actu existentis, sed existendæ possibilitas ejusdem exponitur. At talis doctrina, ut lucu-

len-

(a) *Psalm. 146. ver.4.*

lenter perpendatur, plura futura notanda sunt, quædam simpliciter contingentia appellantur, & merè naturalia; & illa esse assero, quæ indifferentia ad esse, & non esse omninò sunt nominanda; itaut eorum effectuum exitus cuicunque intelligentiæ creatæ sit incertus, tanquam utique illi penitus ignotus: sic futura belli victoria, futura pecuniæ in ludo amissio sive adeptio, futura dignitas, sive futurum dedecus alicujus infantis, & similia, quæ omnia incerta & omnino indifferentia ad esse, & non esse, scilicet ad utramque contrarietatis partem quippè labefiunt. Dixi *merè naturalia*: etenim alia quoque futura contingentia simpliciter talia, attamen non naturalia, sed merè libera nuncupantur, quæ adhuc eadem incertitudinis labe laborant, cum sint simpliciter ad eorum effectuum producendorum voluntaria, quatenus a creata voluntate dependentia esse videntur: sic peccatum crastinum Francisci, factio Sacerdotis, ductio uxoris, & similia contingentia omninò dicuntur, & libera simul, uti a voluntate creata productionem habentia, nominantur.

Aliud assignatur futurum, quodque alterum necessarium naturale, alterum necessarium quia revelatum dicitur; prius cum omni contingentia privetur secundum legem æternam ab Authore naturæ conditam non potest non esse: sic crastinus solis ortus, seu motus siderum futurus in hujus animi fine, & similia, quæ non esse nequeunt, futura naturalia necessaria communiter vocantur. Posterius verò adhuc non esse non valet, & uti tale fatemur; quia nobis ita a sacro eloquio revelatum tribuitur: sic sub futuro Antichristo, totius orbis facienda consumptio, mortuorum ventura resurrectio, judicium universale tremendum, & cætera, quæ cuncta uti dogmata vera de fide catholica firmo animo profiteri tenemur: etenim necessariò erunt, minimèque esse nequeunt; quoniam Christus Dominus, qui nobis dignatus est hanc tradere doctrinam, cum sit infinitè sapiens, nequit falli, & cum sit infinite verax, fallere nos necessario nequit: ipsemet de seipso penes Joannem (a) testatur, *Ego sum via, & veritas.* His porrectis.

XI. Assero igitur primo futurorum, quæ indeterminatam, & fallibilem causam habent, seu contingentium, æquè ad esse, & non esse indifferentium merè naturalium liberorumque, explosa quavis hæsitatione, omnive procul timore cacodæmonem penitus esse expertem, est celebre catholicum dogma, cui universalis Sanctorum Patrum assensus

(a) *Cap.* 14.

ſus adhæret;ſed dumtaxat ſolius Dei infinitè ſapientis hic eſt charaćter.

Sic ſacra teſtantur eloquia, uti docemur a textu Iſaiæ (*a*) hiſce verbis: *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos*. Intuere igitur mecum, lector, dictiones illas, & *ſciemus, quia Dii eſtis vos*, indicantes non aliud, niſi horum futurorum intelligentiam ſolummodo eſſe Dei increati & per eſſentiam immortalis, non igitur creaturarum quamvis excellentium; & ipſiusmet Profetæ (*b*) *quoniam ego ſum Deus, & non eſt ultra Deus, nec eſt ſimilis mei, annuntians ab exordio noviſſimum, & ab initio; quæ nec dum facta ſunt*; necnon Danielis (*c*) *Et reſpondens Daniel coram Rege, ait: Myſterium, quod Rex interrogat, Sapientes, Magi, Arioli & Aruſpices nequeunt indicare Regi; ſed eſt Deus in cœlo revelans myſteria, qui indicavit tibi Rex Nabuchodonoſor, quæ ventura ſunt in noviſſimis temporibus*: ſignum ergo & argumentum certiſſimum eſt ex hiſce Scripturis erutum, præſcientiam futurorum horum cacodæmonis intelligentiæ omnino abſonam, & indebitam, ſed tantùm divinæ mentis attributum eſſe decernitur. Quinimò ſenſus ſacri textus literalis ſemper eſt attendendus, uti verum fidei dogma, tanquam immediatè de ore Dei procedens, dum nullum abſurdum, inconveniens, aut ridiculum ſequatur, ut hic cum omnibus ſacræ paginæ interpretibus ſuppono, præcipuè penes Patrum principem Aurelium Auguſtinum (*d*) de Doctrina Chriſtiana (*e*)

Idem docent adhuc, nemine diſcrepante, Eccleſiæ Patres. Sic Chryſoſtomus (*f*) in Joannem, *certa prædictio futurorum immortalis Dei dumtaxat opus eſt*. Origenes (*g*) contra Celſum, *prædictorum futurorum divini eſt ſermonis character*. Tertullianus in Apologia (*h*) *idoneum, opinor, teſtimonium divinitatis eſt veritas divinationis*. Juſtinus in lib. quæſtionum a Gentibus propoſitarum (*i*). Euſebius (*k*) de præparatione evangelica (*l*). Damaſcænus (*m*). Anſelmus lib. de caſu Diaboli (*n*). Hieronymus in illud Iſaiæ (*o*) ſupracit. ſic explicans præ-

(a) *Cap.41.ver.23.*
(b) *Cap.46.ver.9.& 10.*
(c) *Cap.2.ver.27.*
(d) *Lib.3.*
(e) *Cap.1.15.& 16.*
(f) *Homil.18.*
(g) *Lib.6.*
(h) *Cap.20.*
(i) *Quæſt.2.& 146.*
(k) *Lib.5.*
(l) *Cap.10.*
(m) *Lib.2.de fide cap.4.*
(n) *Cap.21.*
(o) *Cap.46.*

præfata verba, *ab initio considerate, quod præter me nullus sit Deus: nec alius potuerit scire ventura, nisi ego, qui per prophetas nuncio quæ facturus sum; ut cum prædicta complevero, divinatione probem divinitatem*. Et post pauca concludit, *nullum sciatis Deum, nisi eum, qui hæc futura cognovit*. Idemque Sanctus Pater in illud citatum Danielis (*a*) ait, *Frustra igitur ab hominibus quæris in terra, quod Deus solus novit in cœlo*. Aliique communiter Patres idem docentes omittuntur, ne lectores molestia afficiantur.

XII. Hujusmodi tutam doctrinam ex evidenti ratione suasam intueor; eo quia nullus apparet modus, quo cacodæmon juxta intrinsecam vim intellectionis suæ horum futurorum scientiam habere possit: etenim futura vel *in* se ipsis, vel in eorum causis agnosci valerent: non in se ipsis, cum hæc futura nihil sint, aliter futura non essent, sed tanquam quid actu extans, esset præsens: neque in eorum causis, nam adhuc istis suppositis uti naturaliter agnitis, semper tamen easdem uti contingentes, atque æquè indifferentes ad esse, & non esse arbitramur; aliter futurum ipsum non esset contingens, sed necessarium, quod est contra suppositum. Et quamvis debitè applicata causa naturali, necessariò ejus effectus sequatur juxta naturæ cursum; tamen hæc ipsa debita naturalis causæ applicatio cum omnibus circumstantiis necessario est contingens, & æquè indifferens ad esse, & non esse, cum de hoc futuro contingente sermo formetur. Quare argumentum Vasquez (*b*), Divi Thomæ (*c*), Bonaventuræ (*d*), aliorumque, tantum de causis naturaliter necessariis, non verò de contingentibus atque mere indifferentibus profecto intelligi debet; uti sanè cæteri communiter Theologi quoque fatentur.

A fortiori idem asserendum videtur de futuris liberis, quæ nullam connexionem certam cum arbitrio continent, quod sui natura semper, quavis posita libera determinatione, mutabile atque variabile est, & velle quæ noluit, & nolle quæ voluit potestatem habet. Verum tamen est, cacodæmones futura contingentia, & libera posse aliquando scientia aliqua conjecturali divinare ex aliquibus probabilibus indiciis, sicuti præcognoscunt *sæpe* medici ex tactu pulsus, & urinæ inspectione, sanitatē vel mortē infirmi, ita cacodæmones, qui experientia quinque millium & pluriū annorum pollent, cum sciant ea, ad quæ

 homi-

(a) *Cap.2.*
(b) *Tom.2.in 1.par.disp.207.cap.2.*
(c) *Quæst.57.art.3.*
(d) *In 2.dist.7.p.2.art.1.quæst.3.*

hominum voluntates inclinare soleant, libera futura sæpe conjectantur; non verò hæc certitudine aliqua divinare possunt: nam si hoc esset, cacodæmon Job non tentasset, utpote qui ejus suggestioni non erat assensurus; idcircò futurorum liberorum contingentium cognitio soli Deo competit, ut habetur ex Scriptura Isai. 46. *Ego sum Deus, & non est ultra, & non est similis mei annuntians ab exordio novissima, & ab initio quæ nondum facta sunt*. Tanto magis quia determinatio ad hujusmodi futura sæpe est cordis secretum, quod cacodæmoni est prorsus ignotum. Nomine secretorum cordis intelligimus in præsenti internam mentis cogitationem, seu affectum voluntatis nullo modo manifestatum: quare hujusmodi actus merè interni spirituales cogitationis, & volitionis, cordis secreta appellantur, quia in secreto cordis nostri sunt reposita. Et hæc cacodæmoni esse penitus ignota nemo unquam hæsitavit: etenim solius divinitatis propriam scientiam esse, sacra eloquia comprobant, Jeremiæ (a), *Probans renes, & corda*. Et (b), *pravum est cor hominis, & inscrutabile, & quis cognovit illud? Ego Deus scrutans cor*. Sapientiæ (c), *Quia renum illius testis est Dominus, & cordis illius scrutator*. (d), *Redde unicuique secundùm vias suas, quas nosti eum habere in corde suo: Tu enim solus nosti corda filiorum hominum*. (e), *Scrutans corda, & renes Deus*. Quare Apostolus ad Corinth. (f) ait, *quæ sunt Domini, nemo novit nisi spiritus Domini, qui in ipso est*.

XIII. Ex nonnullis hæ objectiones oriri possunt, quæ cacodæmones præfatorum futurorum conscios esse, ostendunt: & primo in ethnicorum idolis loquentes cum iisdem, a quibus futurorum eventum petebant, & de facto responsum cum præsagio obtinebant; & potissimum id, quod ab eis prælibebatur, ethnici sortiebantur, juxta eorum responsa sive bonum, sive malum consequebantur. Secundò cacodæmoni universalis scientia est debita, præcipue Astronomiæ, & Astrologiæ; ex quo si hujusmodi scientiis præditus homo esse potuit, quibus futura prævisa, eorumque tempore pervento jam consequutus est; fortiùs cacodæmon in intelligentia homine sublimior, præstantissimus Astrologus est judicandus, ideò quæcunque futura præsagire valet.

Nihilominus quantum ad primum, quis unquam adversarium cer-

(a) *Cap.*11.
(b) *Cap.*17.
(c) *Cap.*1.
(d) 2. *Paralipomenon cap.*6.
(e) *Psalmorum* 7.
(f) *Cap.*2.

certiorem fecerit, idola Ethnicorum futura eis præsagisse, & ea semper accidisse? jam te, Adversari mi, inscium intueor moris cacodæmonis loquendi, qui semper Gentes ipsas decipere intendebat: etenim cacodæmon in sua locutione haudquaquam univocis terminis, seu vocibus utebatur; ast illos in suis responsis terminos, illasque voces multiplex significatum ferentes adhibebat (qui vulgo æquivoci termini appellantur), seu integrum æquivocum periodum proferebat, quo, quomodolibet res prævisa accidebat, semper juxta datum responsum verificari conspiciebatur, ut benè docuit Divus Augustinus (a) his verbis, *dæmones solitos ea arte sua oracula contexere, quomodocumque res caderet, verum dixisse viderentur*.

Eadem locutione Lactantius asserit (b) *Eos* (scilicet demones) *ut consiliorum Dei penitus ignaros solere, responsa in ambiguos exitus temperare*; uti comperit illud idoli dictum alicui postulanti, *an esset in bello moriturus*, idolum sic respondit, *Ibis, redibis, non morieris in bello*; qui autem loquendi modus duplici sensu scatet, ob diversum illius particulæ *non* casum; nam si caderet supra *redibis*, hoc sensu polleret, flagitantem illum in bello fore moriturum, & in domum suam minimè reversurum; secus verò si supra *morieris* ly *non* caderet, utique oppositum indicatum haberetur. Aliud Oraculum Delphicum prædicto in æquivocatione assimilatur, scilicet *Ajo te, Æacida, Romanos vincere posse*: adeout, vel Æacida victor, vel victus fuerit, dum prælium cum Romanis indicebat, semper hujusmodi idoli responsum verificabatur: etenim præfatus loquendi modus multiplex significatum, æquivocumque congenitum præstare sensum videtur; proindeque quovis placito futurum hoc suum eventum protrahebatur, & haudquaquam versuta oracula falli, socordes Ethnici intuebantur; adeout Deorum verum cultum, æstimationemque ab iis consequendo, divinitatem æmulati fuerint, ut benè Tertullianus in Apologetico (c), *Dæmones*, inquit, *sumentes quasdam temporum sortes, æmulantur divinitatem, dum furantur divinationem.* Qua de re etsi æmulatores divinitatis appellantur, non quia verè futura prædicta præsagiunt, sed ad solam duntaxat ostendendam invidorum cacodæmonum versutiam, divinitatem æmulari dicuntur: etenim instar nostrum, illorum ignavia circa præfata futura prosiliat.

 Qua-

(a) *Lib.3. De Civitate Dei cap.17.*
(b) *Lib.2. Divinar. institution. cap.14.*
(c) *Cap.22.*

Quapropter si præjacta locutio sit præsagitio, quisque nostrum versutus sic loquendo, optimus Ominator cognominari potest.

XIV. Ad declinandam secundam positæ objectionis partem, cum saniori Doctorum mente assero, quemquam cacodæmonum esse perfectissimum Astronomum, quatenus situm, aspectum, motionemque planetarum, aliorumque Siderum errantium, nempe Juppiter, Satellites, seu Stellæ mediceæ, sic appellatæ ab almo Philosopho initii præteriti seculi Galilæo (qui quia primus fuit in detegendis illis tubi optici beneficio, utpote valdè familiæ mediceæ devotus, in ejus honorem mediceas nominavit); insuper quatuor anni tempestates, quæ a Sole per suos successivos in Zodiaci Signa gressus parturiuntur, scilicet ex tropicis suo accessu, & recessu, ingrediendo arietem initium Veris, signum Cancri initium Æstatis, signum Libræ initium Autumni, signum Capricorni initium Hiemis, cæteraque Zodiaci signa distantia inter se triginta gradibus; insuper Eclipticam Sol tantùm gradiens in medio ejusdem Circuli Zodiaci existentem, ecclipses tum Lunæ, tum ejusdem Solis, aliorumque planetarum sortiri causat; quemadmodum Sole bis in anno Arietem, & Libram ingrediente, æquinoctia producuntur, aliaque pertinentia ad Sidera cuncta cacodæmonem perfectè noscere, (utpotè scientia ad sui naturæ integritatem spectans) nemo renuit. Tamen ex hoc sequi nequit, illum indifferentium futurorum esse præsagum: etenim Astronomiam, uti unanimiter instruunt, eorundem notionem minimè promere. Et nonnè cacodæmon sit maximus Astrologus? Attende.

Astrologiam siquidem inventum dolosum nugacium mendosorumque hominum appellatam reperio, qua ejusdem professores, incautos, atque socordes homines in eorum æstimationem mancipare tantùm valeant, & dum loquuntur, mendacia proferunt, uti bene Phavorinus apud Aulum Gellium (a) *Ista omnia*, inquit, *quæ aut temerè, aut astutè vera dicunt, præ cæteris, quæ mentiuntur, non sunt pars millesima*. Qua de re si vera sunt, quæ præsagita videntur, non arti, seu scientiæ (quæ minimè datur) sed casualitati sunt tribuenda: meritò Tullius tantam eos fidem præfatis nugis præstante maximè admiratus (b), *ut mihi rectè*, inquit, *permirum videatur, quemquam extare, qui etiam nunc credat iis, quorum prædicta quotidie videat, re, & eventis refelli*. Et licèt motus, atque influxus Planeta-

ta-

(a) *Lib. 14. noctium atticarum c. 1.* (b) *Lib. 11. de admiratione.*

tarum ab omnibus sit admittendus; hic tamen in fovenda generatione, vegetatione, nutritione, auctione, perfectione, & corruptione rerum sublunarium necessarius esse videtur, uti docet Divus Dionysius (a): sic de sole, *Lux solis*, ait, *ad generationem sensibilium corporum confert, & ad vitam movet, & nutrit, & auget, & perficit*. Quomodo hæc omnia in præsagiendis futuris prosint Astrologis, qui perperam in prænuncianda adhuc hominum sorte ausi sunt; & ideo ad istorum coercendam temeritatem Sixtus V. in sua constitutione incipiente *Cœli, & Terræ Deus*, damnavit Astrologiam judiciariam, uti temerariam, idest, sine fundamento assertam, tanquam in maximam animarum perniciem. At ut magis hujusmodi Astrologiæ vanitas luculenter perpendatur a Lectore, inter cæteros quatuor hic præstantiores, & primi subsellii Doctores refero Divum Augustinum (b), Picum Mirandulanum in uberiore suo tract. de vana Astrologia, Almum Philosophum Petrum Gassendum (c), & Principem Theologorum Divum Thomam (d), unanimiter existimantes hujus scientiæ falsitatem, uti verum nugacium hominum somnium. Hoc posito. Itaque socors quivis existimatur, dum cacodæmonem Astrologum esse censet, ac proinde futurorum contingentium ominatorem asserit; cum Astrologiæ existentiam prorsus spernendam, quoad præsagitionem præfatorum futurorum, nemo votum suum retinebit.

XV. Ex quo infertur, cacodæmonem attenta natura sua nullatenus vera scientia futurorum contingentium ex meris naturalibus causis pendentium præditum esse, scilicet futuri cometæ, futuri terræmotus, futuræ pluviæ, & similium; nec non penitus ignorare futuros casus, fortunasve omnes ex causis per accidens concurrentibus præter vel contra intentionem operantis emanantes; puta futurum cujusdam navis naufragium, futura victoria, futura domus allisio, mors talis hominis, sive violenta, sive repentina. Quandoquidem præfati sacræ paginæ textus de quolibet futuro contingente, atque indifferente a quavis causa sive libera, sive naturali emanante locuti esse videntur: neque major ratio est de uno futuro merè contingente, quàm de altero; etenim cacodæmon horum futurorum naturalium verè

con-

(a) *Lib.4. de divinis nominibus.*
(b) *Lib.7. confessionum cap.6.*
(c) *Sect.2. Physicæ lib.6. de effectibus siderum cap.* 1.
(d) 2. 2. *quæst.95. art.5.*

contingentium notionem sortiri deberet, vel ipsis futuris uti effectibus, vel in eorum causa: at neutrum proferri licet; quippe non in seipsis; quia extra chorum saltaremus: nam si præfata futura perspicerentur in se ipsis, tunc amplius futura non essent, sed præsentia: quoniam formalis ratio veri futuri contingentis est, non actu existere, sed meram indifferentiam ad esse & non esse pro tempore futuro connotare: itaque non in se ipsis. Neque equidem in eorum causa naturali, quæ licèt sit talis & omnibus requisitis applicata, cunctis sublatis impedimentis, non perinde dicitur causa necessaria & actu existens, sed verè contingens est nominanda, & nonnè ratio contingentiæ esset ipsamet futuræ vel non futuræ existentiæ indifferentia? aliter talis denominatio contingentis quid importaret? igitur semper ac tu firmiter naturam contingentis revera teneas, æquam illius concipiendo ideam, præfatæ conclusionis doctrinam ut tibi perspectam necessariò amplexaberis.

Dixi *nullatenus vera scientia*; quamquam connotatorum futurorum a causa naturali deducentium Cacodæmones conjecturalem quandam agnitionem tenere, nemo dubitat: ipsamet utique ratio hoc idem suadet; nam si homo laboribus suis aliqualem quorundam futurorum agnitionem, etsi ænigmaticam quodammodo adipisci valeat; Cacodæmones itaque illo superiores natura, tali conjecturali intuitu magis perspicace pollere debent; eo quia sunt causæ naturalis, seu naturæ ejusque virtutis magis conscii, juxta illud vulgatum, *ibi magis virtus sapitur, ubi magis ejus causa conjicitur*: tamen nihil horum ad illam Deo propriam futurorum notitiam pertinet, quoniam causæ naturales, quibus utuntur cacodæmones, uti dixi, non semper necessariæ sunt, sequitur, ut ipsi sæpenumero circa rerum futurarum æstimationes fallantur, teste magno Augustino (*a*) hoc modo Antonius apud Sanctum Athanasium, cacodæmones quædam futura prædicere ostendit, ut pluvias, tempestates aliasve similia cognoscere valeant.

XVI. A fortiori fatendum est, cacodæmones cunctos natura sua ignaros esse cordis arcanorum, non solum hominum, imò alterius cacodæmonis; quatenus actuum merè internorum spiritualium, scilicet cogitationis mentis & internæ voluntatis affectum nullo signo externo manifestatum penitus nescire: est unanimis catholicorum sensus, expresse sacri eloquii authoritate comprobatus, qua apertè ostenditur, hujusmodi notionem duntaxat esse divinæ mentis proprium characterem.

(a) *Lib.9.de Civitate Dei cap.22.*

rem. Sic (*a*) *scrutans corda, & renes Deus.* 2. Paralipomenon (*b*) *redde unicuique secundum vias suas, quas nosti eam habere in corde suo. Tu enim solus nosti corda filiorum hominum.* Sap. (*c*) *quia renum illius testis est Dominus, & cordis illius scrutator.* Jerem. (*d*) *pravum est cor hominis & inscrutabile, & quis cognoscit illud? Ego Deus scrutans cor,* ex quo Psaltes Regalis seipsum sciscitans, quis poterit corda hominum mulgere, ei flagitanti hoc Deus præbuit responsum, *Ego Deus scrutans cor*, quasi dixerit, ego uti Deus scrutans cor, cum ly uti Deus stat causativè, cum sit causa præcisa, qua ideo Deus est scrutator cordium, quia est Deus: itaque omnes, qui Deus non sunt, haudquaquam cordium scrutatores esse valent: quare nisi velimus in luce cæcutire, luculenter Deum solum corda filiorum hominum nosse dicendum est.

Quemadmodum doctrinam hanc suasam habet unanimis Sanctorum Patrum consensus, Ambrosius 1. ad Corinthios (*e*) in illis verbis (*f*) *spiritus fidei omnia scrutatur.* Augustinus (*g*), Hieronymus (*i*), Damascænus (*h*), Athanasius lib. quæstionum (*i*), Cyrillus (*k*) Chrysostomus (*l*) in Matthæum in verbis *cum mala cogitatis in cordibus vestris*, & (*m*) in verbis *cum autem essent Jerosolomis*. Aliique passim præfatam doctrinam uti inconcussam docent, & licèt de cacodæmonibus specialia verba non adhibeant, sed de Angelis in genere tantùm loquantur, nihilominus cacodæmones adhuc quoad eorum naturam, etsi mali Angeli sint, tamen idem nomen Angeli sortiuntur, dum Dei omnium Creatoris mandatis obtemperant, uti evidenter constat in Scripturis præsertim (*n*) *misit in eos iram indignationis suæ indignationem, & iram & tribulationem immissiones per Angelos malos.* (*o*) *qui facis Angelos tuos spiritus: & ministros tuos ignem urentem*: nam, ut supra notabam, cacodæmones adhuc Angelos appellati, cum

(a) *Psalm.* 7.
(b) *Cap.* 6.
(c) *Cap.* 1.
(d) *Cap.* 11. & *cap.* 17.
(e) *Cap.* 2.
(f) *Vers.* 10.
(g) *Tract.* 22.
(h) *Epist.* 40.
(i) *Lib.* 2. *de fide cap.* 3.
(k) *Quæst.* 27. *in Joannem, lib.* 2.
(l) *Cap.* 23.
(m) *Homil.* 30.
(n) *Homil.* 23.
(o) *Psal.* 77. *v.* 54. & *Psal.* 103. *v.* 23.

cum præsertim sibi impositum ministerium exerceant; quia tale nomen eorum naturæ haud respondet, sed officio. Quinimo & si sistere velimus, relatos Sanctos Patres de bonis Angelis loquutos fuisse, a fortiori argumentum currit: quapropter si bonos Angelos secretorum cordis scientia eorum natura omnino carere SS. Patres instruunt, a fortiori de malis Angelis id a nobis substinendum est.

XVII. Hanc communem doctrinam ratione intrinseca Angelicus Doctor S. Thomas *(a)* ostendit, creatam voluntatem soli Deo necessariò subjiciendam esse docet (& sic unanimiter cum ipso Doctores omnes asserere tenentur): itaque soli Deo uti notam se prodere debere adhuc in ejus operari: una autem creatura cum ab alia independens sit, ideo hujusmodi dominio, seu alterius sibi subjectione gaudere nequit: quare cum secreta cordis unicè subsint voluntatis juri, sequitur tantùm Deo tanquam causæ productivæ ejusdem necessariò patere. Adde, si Angelus alterius Angeli, cacodæmon alterius cacodæmonis, homo alterius hominis, quas excogitant internas, & spirituales operationes, quæ cordis arcana appellantur, prorsus ignorant: igitur a fortiori idem dicendum de cacodæmonibus diversam specie naturam ab illa hominum retinentibus, ipsamque extra totam corpoream naturam connotantibus asseverare cohibemur.

Fateor autem, quod Sanctus Pater Augustinus lib. de Divinatione Dæmonum, & lib. 1. contra Academicos *(b)*, & Sanctus Hieronymus super illud Matth. *(c)* *de corde exeunt*, sicut Gennadius de Ecclesiasticis Dogmatibus *(d)* docuerunt posse cacodæmones sicuti & Angelos omnes ex indiciis quibusdam externis vel aliis occultioribus signis notitia quadam conjecturali agnoscere cogitationes quasdam, internasque hominum affectiones: nam si id faciunt interdum homines, teste sapiente Proverb. *(e)*, multo magis id poterunt cacodæmones, quorum est & natura subtilior, & experientia major.

XVIII. Demum hujusmodi cordis arcanum perperam appellari ens naturale opinor: etenim hoc sic sumptum propriè philosophiæ naturalis materiale objectum esse nominandum; idcirco ens mobile naturale, seu physicum, quid a parte rei extans corruptibile est, quodque arca-

(a) *Quæst.57.art.4.*
(b) *Cap.6.& 7.*
(c) *Cap.15.*
(d) *Cap.81.*
(e) *Cap.27.*

arcani cordis naturæ prorſus adverſatur, cum ſit quoddam ens mente excogitatum, & in eadem exiſtens, non quidem a parte rei, ſed utpote quævis mentis excogitatio penes intellectum ſervetur; & uti non ens naturale, ſed merè intentionale a cacodæmonibus explorari nequit: & quamquam ſit cordis ſecretum quid intelligibile; tamen intelligibile duntaxat, & a Deo tanquam ejus cauſa creativa, & a cauſa illius effectiva immediata, ſcilicet ab illius intellectu intelligente, atque ejus voluntate ſe deliberante.

CAP. VI.

De Cacodæmonum voluntate, locutione, eorumque exteriori virtute.

SYNOPSIS.

I. *Cacodæmones sicuti pollent intellectu, ita & voluntate.*
II. *Voluntatem cacodæmonum flexibilem, & mutabilem esse assero.*
III. *Qualibet substantia spiritualis creata ideas, quas excogitat, similibus naturæ manifestare solet.*
IV. *Cacodæmones conceptus mentis formant, adinvicem eos manifestando.*
V. *Adversùs præfatam doctrinam objectio, quæ affertur, resolvitur.*
VI. *Asserere, conceptus mentis sive ideas excogitatas ab uno cacodæmone cæteris omnibus notas esse, erroneum est.*
VII. *Modus, quo utuntur cacodæmones ad colloquendum, declaratur.*
VIII. *Solvitur difficultas erga modum relatum.*
IX. *Loci distantia cacodæmonis loquutioni non officit.*
X. *Cacodæmon aliquod arcanum alloqui valet, ut ne ab altero intelligatur.*
XI. *Cacodæmon sui natura & de per se homines alloqui non potest; & quomodo illos alloquitur, explanatur.*
XII. *Dum homo cacodæmonem alloquitur, quomodo ab eo intelligatur.*
XIII. *Cacodæmones verè esse in loco dicuntur.*
XIV. *Dupliciter aliqua substantia potest esse in loco.*
XV. *Cacodæmonum substantiam revera esse in loco, & ratione intrinseca, & sacro eloquio comprobatur.*
XVI. *Quomodo dicantur cacodæmones locari, exponitur.*
XVII. *Quanta debet esse loci magnitudo, qua cacodæmon definiatur, incertum est.*
XVIII. *Cacodæmon extrinsecè ut operetur, loci propinquitate eget.*
XIX. *Cacodæmon secundùm sui vires in eodem instanti replicari pluribus locis nequit: licet eidem plures cacodæmones correspondere possint.*

XX. *Dum cacodæmones moventur, motu locali & successivo moventur.*

I. UNanimis cunctorum cujusvis facultatis Doctorum sensus hic adscribitur, cum pro comperto sit, quamlibet substantiam spiritualem virtute intellectiva, seu intellectu præditam, necessariò & voluntate pollere debere: etenim voluntas sequitur intellectum tanquam asseclam a se indivisibilem, seu utpote pedissequum, atque clarissimum jubar, quo bonum uti amplectendum, & malum uti expungendum voluntati veluti suum formale objectum ad eligendum tribuitur. Itaque omni semota hæsitatione, cacodæmonem sicuti intellectus, ita voluntatis potentia essentialiter frui, statuere non vereor (an verò præfatas, imo cujusvis substantiæ spiritualis potentias distingui inter se, & ab ipsa substantia, sive virtualiter, ut ajunt Thomistæ, sive formaliter, uti Scotistæ, sive modaliter, uti Nominales, sive per alios prorsus nonnisi per rationem distingui, ad præsentem non pertinere tractatum); quandoquidem, quod ad essentiam rationalis & spiritualis substantiæ spectat, uti est illa cacodæmonis, Deus naturæ Author, ut non deficiat, nunquam permittit.

II. Hinc non improbabiliter nonnulli Theologi existimant, cacodæmonis voluntatem sui *natura flexibilem* & mutabilem esse, quatenus quod semel voluit, nolle, & quod semel noluit, velle potest, & quod semel elegit, non eligere valet. Et hoc ex pluribus rationibus aptis quamlibet prudentem mentem movere, affirmare videor suasus. Et primo quia hanc inflexibilitatem, seu immutabilitatem voluntatis naturalem esse proprium, & peculiare Dei attributum, cum sit Deus prorsus essentialiter immutabilis; quoniam mutabilitas in divinam voluntatem maxima imperfectio esset; ideoque a Deo aliena: nam in Malachia (a) *Ego enim Dominus, & non mutor*; & cap. *firmiter* de summa Trinitate idem definitur, & hoc de quavis mutabilitate, sive sit secundùm substantiam, sive secundùm accidens, sive secundùm cognitionem, & voluntatem, intelligi debet, uti legitur in Epistola canonica Jacobi (b) *apud quem non est trasmutatio, neque vicissitudinis obumbratio*. Tanto magis quod hujusmodi immutabilitas est prorsus creaturæ incomunicabilis, tanquam perfectio simpliciter simplex, melior ipsa, quam non ipsa juxta doctrinam Theologorum unanimem: ita-

(a) *Cap.3.* (b) *Cap.1.*

itaque afferendum non eſt , adhuc creaturarum voluntati tribuendam eſſe .

III. Omnis intellectiva , & creata ſubſtantia ſpiritualis plures excogitat ideas , nec non quamplurimos mentis ſuæ conceptus gignit : atqui,ut ſupra ſtatutum eſt, ſecretum cordis excogitatum unicè Deo,& excogitanti eſt notum , uti nos certiores & fides , & ratio , necnon & experientia reddiderunt : quapropter niſi relata ſecreta ab excogitante manifeſtentur , vel a Deo revelentur , haudquaquam a cæteris intellectivis creaturis capi valent ; quare ſecreta noſtri cordis, niſi verbis propalemus , utique noſtris amicis minimè occurrere valent . Nos autem in via degentes induimur corpore uti inſtrumento , quo & verba proferimus, & verbis ſignificativis ex communi hominum uſurpatione utimur ad exprimendos flagitanti mentis noſtræ inventos conceptus , ac proinde in dubium revocari non debet,adhuc animas ratioles a corpore ſeparatas ſive beatas , ſive damnatas mutuò colloqui , necnon proprios ſui interni conceptus ſive triſtes , ſive lætos invicem ſibi exponere, ut patet ad Philippenſes(a) *Noſtra autem converſatio in cœlis eſt* : converſari ſui natura aliud non importat,niſi proprios mentis noſtræ conceptus , atque ideas excogitatas amicis aperire : ſi ergo in cœlis converſamur , utique ibi quidquid concipiemus cæteris animabus aperietur .

IV. Itaque evidenter infertur , cacodæmones, ut puros ſpiritus intellectione , & ratione præditos, adhuc conceptus , atque ideas prodere , eaſque ſibi invicem pandere . Quinimo de hac Doctrina quavis hæſitatione ſemota unanimis eſt tum inter Patres , tum inter Theologos, Auguſtinus (*b*) , Damaſcænus (*c*) , Ambroſius (*d*) , Chryſoſtomus (*e*) , Theodoretus , Anſelmus , Baſilius in homil. in initium Evangelii Joannis , aliique communiter . Quemadmodum teſtantur permulti Sacræ Scripturæ textus, ſic (*f*) *Si linguis hominum loquar , & Angelorum* : itaque Angeli loquuntur . Apocalypſis (*g*) *Angelus unus clamavit ad quatuor Angelos dicens , nolite nocere terra , & mari* . Zachariæ (*h*) , *Angelus, qui loquebatur in me , egrediebatur in occurſum ejus , & dixit*

(a) *Cap.3.*
(b) *De divinatione dæmonum cap.6.*
(c) *Lib.2. de fide cap.3.*
(d) *In commentariis ſuper epiſt.1. ad Corinthios .*
(e) *Homilia 32. in eandem epiſt.*
(f) *1. ad Chorintios cap.13.*
(g) *Cap.7.*
(h) *Cap.2.*

xit ad eum. Isaiæ (a) *Duo Seraphim clamant alter ad alterum.* Dan. (b) & Zachar. (c) *Unus angelus loquitur ad alterum.* Idem a Daniele, & Michæa prophetis refertur; ac proinde luculenter relata Sacræ Scripturæ testimonia præfatam doctrinam sole clariorem indicant.

V. Neque dicas, Angelos dici locutos per corpora assumpta. Nec secundò, dici Angelos, & non cacodæmones. Nam ad primum, quæro, unde in relatis scripturis Angelos per corpora assumpta fuisse locutos, eruatur? Sed ad idem directè respondeo, adhuc si ab illis corpora assumantur, quid per hoc? hæc ab eisdem non informantur, veluti animæ nostræ rationales humana corpora informantes, cum quibus faciunt unum per se, non verò per accidens, ut veræ partes constitutivæ hominis, cujus corpore tanquam istrumento ad humanas tum vitales, sive necessarias, tum naturales, sive voluntarias actiones anima utitur: At Angeli duntaxat assumptis corporibus extrinsecè assistunt; idcirco si advicem, uti scriptura inquit, sunt loquuti, id proprium est spirituali angelicæ substantiæ atque naturæ proprium attributum essentiale: etenim nisi verè, & propriè mentis eorum conceptus invicem manifestarentur, non esset assignabile in quo hujusmodi Angelorum locutio consisteret.

Ad illud, quod addunt, insania est, cum cacodæmones adhuc Angelos nominentur per diversitatem munerum, & officiorum, quæ interdum a Domino Deo imperante atque permittente exercent: nam, ut supra visum est, Angeli nomen non naturæ, sed officii appellatur, cum æquè natura, sive generica, sive specifica, tam bonis, quàm malis Angelis correspondeat; idcircò si boni Angeli, ut visum est, ad invicem se intelligere dicuntur, quare & non idem de cacodæmonibus asserendum, flagito? Quinimo hanc præfatam veritatem non tantùm extrinsecæ relatæ authoritates suadent, sed quoque intrinseca ratio luculenter ostendit: quandoquidem notum facere, seu manifestare internos cordis, seu mentis conceptus maximè ad bonum naturæ intellectivæ, & rationalis conducit, utpote ad ipsiusmet profectò commercium atque societatem ordinatum: & sanè asserere hoc pro nostra natura humana, peculiaris est ejusdem perfectio: itaque a fortiori id pro cacodæmonum natura, humana sublimiore, stabiliendum esse minimè vereor.

IV. Ca-

(a) *Cap.6.*
(b) *Cap.8.*
(c) *Cap.2.*

VI. Cave, ne proferas, cacodæmones hac manifestatione, atque locutione nullatenus agere; quoniam mentis canceptus, atque cordis secreta invicem singulis sunt nota, & sufficienter manifesta. Hoc namque asserere, procul omnino est a Sacra Scriptura supra relata; idcircò a vera fide alienum: ex quo antea fundatum est, dogma de fide esse, mentis conceptus, atque cordis arcana solius Dei est nosse.

VII. Hinc modus, seu medium, quo ad invicem cacodæmones loquuntur, ad hujusmodi mentis conceptus, atque cordis arcana manifestanda, difficilis flagitationis est: etenim cacodæmones corporibus, utpote puri spiritus, carentes, ad hominum discrimen, qui corporis organo pro aperiendis præfatis conceptibus persæpe utuntur, non alio de pacto mutuò colloquuntur, quàm deliberatione voluntatis se determinando, interveniente Divina revelatione, eorum mentis conceptus alteri aperitur: quatenus hic & nunc si aliquis cacodæmon quædam cordis arcana alloqui velit, & voluntate sua se deliberet, Deus uti author naturæ, alteri quàm cacodæmon alloqui cupit, præfata revelet; quia siquidem esset verificatum, cacodæmonum locutionem esse actionem veram, & vitalem, qua mentis conceptus manifestantur, utpote consistentem in determinata cacodæmonum voluntate: revelatio autem divina de extrinseco se habet; quoniam ad naturalis sociabilitatis naturæ intellectivæ exigentiam utique spectat.

VIII. Neque incredibile reputes, Deum suis infestissimis hostibus inservire, suam eis præbendo revelationem, ipsosmet fieri habiles ad invicem intelligendum. Nam incredibile reputandum non est; quia Deus ut author naturæ, cujus omnem exigentiam secundare videtur, nunquam quod alicui creaturæ est naturale denegat; dum dicitur Deus physicè, non moraliter cum eis concurrere: uti quoque nobiscum ipse se gerit, cunctisque creaturis, eas conservando; & uti est unanimis Philosophorum sensus, Deum concurrere, uti causam primam & universalem ad cujuscumque effectus cujusvis generis causæ productionem (si talis autem concursus sit immediatè & proximus, sive mediatè & remotus, penes eosdem Philosophos litigium est). Quamobrem Deus uti naturæ author, & uti causa universalis concurrendo in cunctorum cujusvis creatæ causæ effectuum productionem adhuc cum nostris peccatis, quæ perperam patramus, concurrit, cum illa impedire possit & non impedit, ne nostra libertatis indifferentia impediatur (& ideo dicatur, Deus concursu permissivo, non verò

præ-

prædefinitivo, seu volitivo atque morali concurrere; aliter ipsi peccatum imputaretur, quod a Deo nec intenditur, nec intendi potest); adeout Deus juremerito nobiscum in sacra pagina conqueratur) Isaiæ (a) *verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis*. Quod servire fecisti non intelligitur coactè, quia blasphemia esset in divinam libertatem, cum omne opus ad extra Dei prorsus illi voluntarium sit, ad discrimen operis ad intra, scilicet generatio Verbi,& Spiritus Sancti processio, quod est Deo sanè necessarium: qua de re in iniquitatibus nostris, scilicet ad entitatem peccati Deus physicè concurrit; (ad malitiam vero tantùm permissivè, cum tota causa hujus, voluntas nostra sit) quia vult; aliter si concurrere nollet, conservationem causæ secundæ suspendendo, illa procul dubio destrueretur: vel ut scelera hominum vitarentur, aut deleri, aut minui humana libertas ad malum deberet, quæ cum proprietas naturalis atque essentialis conditionis cujuslibet intellectivæ naturæ præsumatur, non solum manca & defectuosa esset, verum & occlusum aditum ad merendum, & demerendum (cujus radix, libertatis indifferentia tum a coactione, tum a necessitate est, uti Innocentius X., Alexander VII., & novissimè Clemens XI. adversùs tertiam thesim Jansenii docuere) licet gratia ad merendum præveniens exquiratur, gigneret.

Quinimo & philosophi docent, non esse Deum causæ secundæ ad gignendum effectum motorem; sed potius ipsamet per suam determinatam dispositionem Deum ad physicè concurrendum determinet, uti naturæ Authorem, universalemque causam primam (Hoc autem pacto Deus dicitur a creatura determinari, tantùm ex libera divina sua voluntate, & in præsenti providentia; quia aliter statuere poterat & potest). Ex dictis igitur infertur, incredibile non esse, Deum revelari illi id jam deliberatum a voluntate cujusdam cacodæmonis eundem alloqui volentis; nisi gratis asserere velimus, Deum cum cacodæmonibus uti naturæ authorem nolle se gerere, suumque physicum concursum eorum effectibus denegare.

IX. Ex hisce hucusque positis collige, locutioni cacodæmonum officere minimè posse loci distantiam; quia hujusmodi locutio loci propinquitate non eget, cum sit actus merè spiritualis, non verò organicus, in sola cacodæmonis deliberata voluntate de manifestando, ac divi-

(a) *Cap.* 3.

divina revelatione consistens, quibus loci distantia obesse nequit: etenim tam locutio, quàm cacodæmonis intellectio non aliud importat, nisi scientiam in mente sua a Deo per revelationem impressam, supposita voluntatis alterius cacodæmonis determinatione alloqui volentis: itaque quemadmodum cacodæmon in quavis posita distantia quævis objecta naturalia intelligere & perpendere valet, ita in eadem distantia quemlibet alloqui potest.

X. Collige insuper, valere cacodæmonem alloqui quem velit, hunc, vel illum alterum cacodæmonem; quinimo adhuc valere arcanum ita alloqui, ut ab altero cacodæmone ne intelligatur: quandoquidem si tota cacodæmonis locutio in determinata sua consistit voluntate ad internum conceptum manifestandum, & in divina revelatione ad id exequendum; sequitur, cacodæmonem hanc talem determinatam voluntatem huic tantùm cacodæmoni suum conceptum manifestandi, & non alteri, quam Dei revelatio sequitur habere posse: nam id expostulare conditio intellectivæ, & liberæ naturæ videtur, ut sua utatur locutione, uti velit, nisi propriam sui indifferentiam vel simpliciter adimire, vel gratis minuere velimus; cum adhuc in hominibus id statutum ab Authore naturæ cernimus, posse nos quemlibet sive clanculum, sive palam, hunc vel illum duntaxat alloqui.

XI. Demum scias, cacodæmonem sui natura, & de per se homines alloqui non posse: etenim cum hominibus cacodæmones eandem rationalem commùnitatem, societatem, atque rempublicam haudquaquam constituunt, cum sint naturæ inter se prorsus disparatæ, & prorsus invicem incommunicabiles. Et ideo dixi *sui natura*; quia id speciali Dei arbitrio remitti debet, specialiter id fieri permittendo: quare posita divina permissione posse cacodæmones in corpore assumpto homines alloqui, cum homo præcisis corporeis signis conceptus mentis alterius perpendere nequent.

XII. Si fortè quæras, an homo cacodæmoni loquens, ejus voces ab eodem percipiantur? Huic quæsito ex nuper dictis responsum præbetur: & assero, nequaquam cacodæmonem attenta sui natura & de per se præfatas hominis voces percipere posse. Et ratio evidens est, cum cacodæmon pura substantia spiritualis sit prorsus materialitatis expers, id percipere non valet, ad quod percipiendum, materiale instrumentum expostulatur: atqui voces humanæ tanquam signa corporalia, seu a corpore animato prolatæ, & uti sonus necessariò & sui natura

in-

instrumentum corporeum, seu organicum, seu auditus sensum atque organum exposcunt, ut percipiantur: itaque hominum voces a cacodæmone percipi nequeunt. Dixi iterum sui natura, & de per se, quia per accidens valent percipere, cùm Deus esset, qui hominum alloquentium conceptus manifestaret. Hæc autem doctrina quoque de bonis Angelis, atque de Sanctis per expositam rationem militat, cum eisdem idem Deus hominum fidelium orationes, atque conceptus siquidem pandit.

Neque dicas, ex hac doctrina sequi, ne Deum quidem hominum voces atque conceptus percipere posse ob eandem rationem immaterialitatis de eodem Deo pariter militantem. Nam sic tu loquens, nullum admittere discrimen inter Deum, & creaturas videris: duntaxat hoc perpende, Deum esse causam universalem, uti naturæ Authorem, concurrentem cum quovis secundæ causæ effectu, nec non eisdem intimè præsentem, atque omnium cordium scrutatorem, & sic mens tua hac levi difficultate minimè laborabit.

XIII. Quod autem spectat ad cacodæmonum virtutem, ea dupliciter considerari potest, nempe interior quoad vim intelligendi, & exterior quoad motum localem: de antecedenti jam supra abundè peractum, ubi de intellectione, atque intellectu cacodæmonum locuti sumus. Agendum est igitur de subsequente apposita virtute, nempe de exteriori, seu locali: & ideo notandum est primo, cacodæmones verè esse in loco, adversùs quorundam sensum, nullam substantiam spiritualem, sive bonam, sive malam, esse locatam, perperam existimantium. Sed ut luculenter hanc positam doctrinam intueamur, ex philosophis supponere debemus, locum esse ultimam superficiem corporis continentis immobilis; quare locus ipse, qui locatum continet, est verum corpus, locatum ipsum continens per ultimam, & immediatam sui superficiem, claudentem, & terminantem locatum, quod nihil ipsius est extra ipsam: quia hoc notat esse in loco, nempe claudi, terminari, & circumscribi.

XIV. Et hoc bifariam haberi potest, circumscriptivè scilicet, & definitivè. Circumscriptivè, quatenus totum locatum toti loco, & partes locati partibus loci correspondent; & sic quodlibet corpus naturaliter esse in loco intelligitur. Definitivè verò, quatenus totum locatum toti loco, & totum locatum partibus loci correspondere præsumitur; & sic quælibet rationalis anima in loco corporis, & Corpus

Christi Domini Sacramentatum in Hostiæ loco correspondentiam retinet; quatenus tam animam in corpore, quam Christum Dominum in Sacramento esse totum in toto, & totum in qualibet atoma loci parte, quisque procul hæsitatione profitetur.

Insuper advertendum est, alterum ubique, & alterum nullibi esse designatur. Primum importat, corpus pluribus, vel omnibus locis divinitùs replicatum esse; sed adhuc essentialiter claudi, terminari & circumscribi exprimit. Secundum connotat, ly *nullibi positivè sumptum*, nulli censetur loco respondere, utpote omnino interminabile, immensum, ideft nullo termino claudi agnoscitur, qui solus est Deus, quem nullibi esse, ideft loco, dicendum tenemur, licèt cuilibet creaturæ esse intimè præsentem fide divina confiteamur, ex illo Apostoli dicto de Atheniensibus in Actibus (*a*) *Non longe abest ab uno quoque nostrum: in ipso enim vivimus, movemur, & sumus*. Jeremiæ (*b*) *Cælum, & terram ego impleo*, aliaque passim sacri eloquii testimonia, & communiter Sancti Patres, eandem doctrinam tradiderunt, Augustinus inter cæteros (*c*) docet, Deum esse illocalem, & loco non contineri. Athanasius in rescripto ad Liberium, Bernardus (*d*), Damascenus (*e*), ubi ait, *ut qui materiæ ac circumscriptionis expers sit, haudquaquam in loco est*, aliique. Hoc posito,

XV. Asserere non vereor, cacodæmones verè, & propriè eorum substantia in loco esse, eique præsentes: quam doctrinam duplici ratione approbo, una intrinseca, sive ex visceribus, & altera extrinseca, sive in Sacræ Scripturæ authoritate fundatur. Et prima est; quia intrinsecè repugnat, creaturam, seu creatam substantiam veram, & realem nullibi esse, ideft nullo terminari, & claudi loco: itaque oportet esse alicubi, & consequenter revera esse in loco, eique præsentem. Antecedens istius Enthymematis non tam evidens est, quàm luculenter ostenditur. Quandoquidem duplici ex capite substantia *nullibi* dici potest, negativè, & positivè: negativè, ideft per existentiæ negationem ejusdem rei revera non existentis; quod enim non est, fortiùs nullibi est, (& de hoc non est quæstio, quæ de subjecto non supponente diceretur) fas itaque est, ut dicatur nullibi positivè, uti mox dice-

(a) *Cap.17.*
(b) *Cap.23.*
(c) *Sermone 8. de verbis Domini, & lib. de essent. Divinitatis in princ.*
(d) *lib.5. de consideratione ad Eugenium.*
(e) *lib.1. de fide cap.16.*

cebam, & concipi nequit, nisi per aliquod perfectionis prædicatum, omnem definitionem, & localem continentiam excludens: hoc autem prædicatum aliud esse minimè potest, nisi ipsamet immensitas, ratione cujus substantia aliqua rebus cunctis intimè redditur præsens, & ideo nulli loco definiri, & contineri valet, & sic nullibi esse dicitur: atqui immensitas creatæ substantiæ essentialiter repugnat, cum divinæ Essentiæ sit peculiare tributum, cuicumque creaturæ omninò incommunicabile: profectò igitur fateri tenemur, cum diabolica substantia revera creata, & finita sit a parte rei existens juxta ea, quæ supra exarata leguntur, sequitur, utpote creatura terminari, & necessariò in substantia claudi, quod verè, & propriè est esse in loco; ideoque benè infertur, cacodæmones propria eorum substantia in loco esse, & definiri.

Ex sacrarum literarum authoritate præfata doctrina adhuc commodè infertur; ex eo quia in iisdem cacodæmones ab uno ad alterum locum moveri perpenditur: sic Job. (a) *Affluit inter eos etiam Satan.* Et paulò post, hic respondens, ait, *Circuivi terram, & perambulavi eam*. Et Matthæi (b) *Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum*. Et infra, *illi exeuntes abierunt in porcos*. Et similia loca, in quibus non semel cacodæmones è corpore exire vociferantur: at affabrè motus iste localis præexistentiam in locò necessario supponit.

XVI. Statuta autem hac notione, scilicet cacodæmones verè esse in loco propria eorum substantia, quæ tanquam finita, & creata, non autem immensa, unica ratio essendi in loco esse debet; licèt non æquè uti corpora, quæ tanquam materialia circumscriptivè loco respondere tenentur: atqui cùm illi prorsus omnibus partibus careant, uti simplices, & spiritus, sequitur, ut non nisi definitivè integra cacodæmonis substantia toti loco, & singulis omnibus ejus partibus applicata esse valeat, per respectum scilicet extrinsecum ad ipsum locum, a quo finitur, propriove termino clauditur.

XVII. Hinc frustraneum esset quæsitum illud, quantus nempe sit ille locus, seu spatium, a quo cacodæmonis substantia clauditur, seu cui idem est præsens, & præsentialiter in loco terminatur juxta naturalem ejus exigentiam. Nam hoc est penitùs incertum, cum sit solùm Deo notum, qui fuit omnium admirabilis creator: at in corpori-

(a) *cap.*1. | (b) *Cap.*8.

bus eorum locus facilè agnoſcitur, ratione propriæ quantitatis materialis, cujus procul dubio cacodæmon eſt expers, & ideo a nobis agnoſci nequit.

Quadam autem probabilitate ex Sacris literis eruta freti opinari poſſemus, hujuſmodi locum poſſe adhuc eſſe parvum, & minimum, cui cacodæmonis ſubſtantia correſpondet, & a quo uti termino clauditur: etenim Lucæ(*a*) pro comperto eſt, integram cacodæmonum legionem parvum humanum corpus obſediſſe: itaque ſexiesmille, ſexcenti, ſexaginta ſex dæmones definitivè ſeptipalmari loco præfati humani corporis, quod ut plurimum hujus trinæ dimenſionis exiſtimari debet, correſponderunt: eoſdemque in eodem textu Sacro legitur obſediſſe porcos; & conſequenter erui poteſt, correſpondiſſe porcorum loco: quoniam tum corpus illud humanum obſeſſum, tum quoque porcus non erant cacodæmonum loca, at potius ejuſdem humani corporis, porcorumque locus pariter eorundem dæmonum dicendus eſt, a quo illorum ſubſtantia definita, & terminata erat. Et ſanè dæmon in ratione ſpiritualitatis ab ipſamet noſtra rationali anima nullatenus differre videtur: ſed iſta adhuc minimi humani corporis loco definitivè correſpondere videtur: etiam itaque, & cacodæmon non niſi parvum locum ſubſtantia ſua definitivè facultatem occupandi continet.

Fortè dices, ideo corpus eſt in loco, & ab ipſo circumſcribitur; quia molem, ſeu quantitatem retinet, qua quia omnino cacodæmon caret, ideo in loco eſſe nequit. Utique eſſet objectio prorſus inanis, imò ridicula: nam corpus in loco dicitur circumſcriptivè ratione materiæ; cacodæmon verò in loco eſſe aſſeritur definitivè ratione ejuſdem ſubſtantiæ, uti omninò limitatæ, & immenſitate carentis.

XVIII. Inſuper puto, cacodæmonem loci propinquitate egere, ut operetur, quatenus eſſe debet in loco, eique præſens, ut aliquam operationem exercere valeat, nec exiſtente illo in loco, in alterum procul locum operari poſſit; idcircò ſecundum ſui vires in diſtans operari nequit, ubi ſecundùm ſui ſubſtantiam non eſt præſens. Et ratio clara eſt, quia ſicut cacodæmon eſt finitæ, & terminatæ ſubſtantiæ, finitum eſſe, finitæ virtutis atque activitatis pariter eſſe debet, cujus principium ipſa ſua ſubſtantia, ſeu ipſum ſuum eſſe nominatur; niſi ſubſtantiam finitam continere virtutem, ſeu activitatem illimitatam,

(a) *Cap.8.*

tam, & infinitam dicere velimus; quod utique in terminis repugnantia esset: quoniam omnis creata substantia utpote terminata hac pollet virtute, quæ tanquam propria circumferentia, ultra quam actus quispiam fieri haudquaquam valeat: itaque evidenter patet, cacodæmonem in distans agere minimè posse, sed semota hæsitatione loci propinquitate egere, ut operetur.

XIX. Ex hucusque dictis non erit difficilis illatio hæc, unum nempe, eundemque cacodæmonem attentis suis naturalibus viribus in eodem instanti pluribus correspondere locis minimè posse, eisque haud replicari: etenim nulla creata substantia, quæcunque sit, admittitur (uti unanimiter phylosophi fatentur), quæ hac virtute pluribus locis replicandi, & una simul correspondendi naturaliter pollet: si posset namque pluribus simul locis correspondere, posset & omnibus, cum non sit major ratio de uno, quàm de altero loco, & sic secundum naturalem sui exigentiam esse ubique valeret, quod conditioni creatæ substantiæ naturaliter adversatur, quæ veluti finita, & determinata alicui loco correspondere expetit. De potentia enim Dei absoluta, hoc est præter suæ ordinariæ providentiæ cursum operante, posset id contingere, quia nulla essentialis repugnantia apparet.

At verò mihi eidem loco plures simul adesse cacodæmones repugnare non videtur: etenim unica ratio, quare duo corpora eidem loco respondere non possint, est ipsamet moles, seu partium extensio, ratione cujus invicem se impediunt: sed hæc ratio prorsus in cacodæmonibus desinit, partium extentione carentibus: sequitur itaque non rèpugnare, plures cacodæmones eidem loco correspondere.

Neque inde inferri compenetrationem, quæ propriè in corporibus divinitùs accidit, quæ ob partium extensionem invicem se impedientium, naturaliter haberi nequit; quodque de cacodæmonibus profectò verificari non valeat, ut patet attendenti, & benè considerandi.

XX. Demùm adhuc inferri potest, cacodæmonem, dum movetur, vero motu locali moveri, & quidem successivo, etsi celerrimo, sed non instantaneo. Nimirùm juxta antecedentia præfata, cum cacodæmon substantia sit loco definita, fas est, dum movetur, de loco ad locum moveri, æqualemque locum de novo adipisci valet, dum veterem destituit: porrò ejus motus sequi debet per prius, & posteriùs, cum motus essentia sua sit transitus a termino a quo ad terminum ad

quem,

quem, ſiquidem ſucceſſivè, non verò inſtantaneè fieri debet; licèt fuerit magis minuſvè ſucceſſivus, quo major, vel minor erit longitudo, ſeu diſtantia a termino a quo ad terminum ad quem: quamvis nimia celeritate accidat; quoniam ſpiritus omni privatur materia, ratione cujus corpus tardè movetur. Quemadmodum ipſamet limitatæ diabolicæ ſubſtantiæ conditio, & ſpatii ſucceſſivitas expoſtulant eandem moveri ſucceſſivè, & continuè, non verò diſcretè, ideſt ab extremo ad extremum intacto medio, de quo nequidem valeat rectus formari conceptus, cum eſſentia ſit cujuſvis ſubſtantiæ creatæ per prius, & poſterius moveri juxtà pariter motus naturam.

CAP. VII.

De Cacodæmonum ministerio, ejusque potentia.

SYNOPSIS.

I. *Quemadmodum boni, ita & mali Angeli aliquod ministerium Divino jussu exercere solent.*

II. *Sensus totius ecclesiæ est, Angelum tutelarem singulis hominibus a Deo deputatum fuisse; licet non sit de fide, in quo hæc tutela consistat, eosdem non esse hominum ministros statuitur.*

III. *Omnino gratis asseritur a nonnullis, cacodæmonem adhuc ad mala suggerenda singulis hominibus deputatum fuisse.*

IV. *Cacodæmones tentare homines, de fide est saltem in genere.*

V. *Cacodæmones ad homines tentandos a Deo minime ministerium, sed purè permissionem obtinuerunt.*

VI. *Unusquisque procul dubio tentatur a concupiscentia sua.*

VII. *Vitia nostra a quibusdam Sanctis Patribus Dæmones appellantur, &c.*

VIII. *Hominum corpora cacodæmones obsidere solent, eorumque minimè mentibus illabuntur.*

IX. *Licet cacodæmon quandam naturalem potentiam contineat circa res corporeas immutandas, non verò circa earum formas substantiales, atque accidentales.*

X. *Quomodo cacodæmones quamplurimas res admiratione dignas rentur.*

XI. *An cacodæmones vera miracula patrare possint?*

I. QUemadmodum boni Angeli quoddam accidentale ministerium interdum exercuerunt, uti constat de multis Angelis tum ad Tobiam, tum ad Isaiam missis; tum Actorum (a) *nunc scio* (ait Divus Petrus) *quia misit Deus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis*: tum penes Lucam (b) *Missus est Angelus Gabriel*: tum juxtà sensum unanimem Patrum, & Theologorum locutionem, apparitionemque a Deo hominibus factam, (uti utrumque testamen-

tum

(a) *Cap.* 12. (b) *Cap.* 1.

tum testatur.) semper ministerio Angelorum usum fuisse: sic Augustinus (a), Hieronymus in illud ad Calatas, *ordinatè per Angelos*; Cyrillus (b), Gregorius (c) docent, idem pariter de cacodæmonibus asserendum esse: nam ad hujusmodi interdum accidentale ministerium exercendum per divinam dispositionem adhuc missi sunt, uti constat (d) *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per Angelos malos*. Et (e), *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem*: ly *ignem urentem* cacodæmones indicare nonnulli opinantur. At de ministerio muneris proprii, ad quod cacodæmones per divinam merè permissionem deputati sunt, loquendum est.

II. Deum omnium Creatorem, providumque omnibus, & singulis hominibus cujuscunque generis, sive fidelibus, sive infidelibus, sive prædestinatis, sive reprobis, a die nativitatis peculiarem Angelum tutelarem deputasse communissima Patrum, & Theologorum sententia est. Quæ autem doctrina licèt non sit espresse de fide, quatenus textum illum (f) *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, quidam de Christo Domino intelligendum esse arbitrati sunt; nec non alter Matthæi (g) *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est*; atque Genes. (h) *Angelus, qui eripuit me de cunctis malis, benedicat pueris istis*, similesve non satis Angelum tutelarem singulis hominibus viatoribus a Deo concessum demonstrant; tamen cum unanimi Patrum sensu (uti observari penes Theologos, præsertim Guglielmum Estium (i) potest) quia semper Sancta Mater Ecclesia ita coluit, & ita fidelibus cunctis colendum præbuit, temerarium procul dubio esset ab eo omninò recedere, uti scelestissimus Calvinus (k) suarum institutionum blasphemavit esse hanc doctrinam vulgi opinionem; cum cuncti ecclesiæ Patres dictionem illam Textus Matthæi, *Angeli eorum*, homines connotare advertunt.

Monitum tamen te volo, ne in vulgatum errorem incidas erga hujusmodi Angelorum tutelam, scias hanc non consistere in illustratio-

(a) *Lib.3. de Trinitate cap.11.*
(b) *Lib.8.Thesauri cap.2.*
(c) *Lib.28.moralium cap.2.*
(d) *Psal.77.*
(e) *Psal.103.*
(f) *Psal.90.*
(g) *Cap.18.*
(h) *Cap.48.*
(i) *Tom.1. lib.2. dist.11. §.1.*
(k) *Lib.1.*

tione, & inspiratione divinæ gratiæ: quia hoc solius Dei est, qui unicè dicitur gratiæ Author; sed in remotione noxiorum potissimum ad æternam salutem, in via Domini instruendo, sive etiam a Deo opportuna gratiæ auxilia impetrando, sive in genere bonorum temporalium, uti animæ expedire videbitur; licèt hoc frequentem hominum casualitatem non impediat ob providentiæ suæ altissimos fines, cujus voluntati Angelus beatus necessariò assentitur.

Cum igitur Angeli tutelares sint hominibus in terra degentibus tam naturæ, quàm gratiæ donis longe præstantiores; ideo hominum ministri non sunt dicendi: etenim ministri dominis subjecti dicuntur, & Angelorum homines haudquaquam Domini dici valeat; nisi tantùm unus Christus Jesus utpotè verus Deus eorum Dominus appellatur. Et sanè Apostolus ad Hebræos (a) non scripsit, *Angelos in ministerium hominum missos*; sed ait, *in ministerium missi propter eos*, scilicet propter homines: ita Patres docuerunt Gregorius (b) super evangelia (c), Leo (d) de quadragesima, aliique.

III. Quare quidam pari ratione singulis hominibus adhuc a nativitate peculiares cacodæmones deputatos fuisse ad suggerenda mala putaverint. Quod gratis omninò fingitur, cum neque Scriptura, neque Traditione, neque Conciliis, neque Patribus, & neque quod pejus ratione talis doctrina nitatur. Quam licet sequi videatur sententiarum Magister(e); tamen si benè citatus Doctor perpendatur, ne ita quidem sensisse agnoscitur. Quare relatus Estius (f) post quamplurima, quibus ut verum somnium præfatam doctrinam eliminet, hisce notis concludit: *Postremo videri non immerito potest ea opinio manasse ex errore Gentilium, qui singulis hominibus in ipso ortu duos genios velut connaturales attribuerunt, bonum, & malum: ac bono quidem bona omnia, quæ homo vel faceret, vel pateretur; malo autem mala omnia adscribebant. Cui non admodum dissimile est illud Mahometanæ superstitionis commentum, quod in lib. cui titulus, Doctrina Mahometi, legitur, singulis hominibus binos assistere Angelos, alterum a dextris, alterum a sinistris, quorum ille benefacta hominis scribit, iste malefacta &c. Ex quibus omnibus apparet hoc, quod dicitur de malo Angelo singulis hominibus semper adhærente, magis ad fabu-*

(a) *Cap.*1.
(b) *In homil.*16.
(c) *Et homilia* 10.
(d) *Serm.*2.
(e) *In* §.*B.* & *C.*
(f) *Dist.*11. §.IV.

fabulas falsarum religionum pertinere, quam in Doctrina Christiana solidum habere fundamentum.

IV. Insuper assero, cacodæmones tentare nos, atque impellere ad malum de fide esse saltem in genere; constat ex prima Petri (a) *Quia adversarius vester diabolus tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Et Apostolus ad Ephesios (b) *Colluctandum nobis esse adversus potestates tenebrarum harum. Et (c) Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli*: adeout divino adjutorio licèt vincantur, & superentur, non perinde a tentando desistunt; ut apertè legitur in Job (d), qui a Satana tentatus, & cum victoriam patientia obtinuerit, iterum & sæpius ab eodem tentatur, quousque ex Job victore victus revertitur. Sicuti ex aliis scripturæ locis, præsertim ex illo Lucæ (e) idem observatur, diabolum a Christo Domino semel, & iterum victum, tertiò ad eum tentandum accessisse. Verum tamen est, hujusmodi cacodæmonum potestatem sæpe divinitùs cohiberi, præcipuè ne sanctos, quantum velint, tentare possint, pro virtutis merito, & servorum Dei consolatione. Quomodo autem vincantur, & superentur, in sequenti capite exponetur.

V. Etsi verum sit, cacodæmones tentare homines, ad hoc tanquam ministerium a Deo statutos, nullatenus affirmari debet: etenim diabolica tentatio cum ad malum sit ordinata, propriè sub divina providentia cadere nequit, quia non est, nec esse potest ejus effectus: quare Ecclesiasticus (f) docet, *Deus nemini mandavit impiè agere.* Aliter sequeretur absurdum, scilicet Deum esse tentatorem, licèt non immediatè, sed mediatè, idest medio cacodæmonum ab ipso ad tentandum statutorum; quodque authoritati Divi Jacobi prorsùs adversaretur in canonica ejus epistola (g) *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.* Et hoc etiam mediatè intelligendum est; aliàs relatus Apostolus mendacii notam minimè effugeret. Et hoc a ratione efficaciter suadetur; quia Deus non vult peccatum, nec velle potest, cujus haudquaquam author asseri valet: tentare siquidem ad peccandum quempiam, ejusdem peccati procul dubio causam physicam, vel moralem appellari, nemo negat; imo id ipsum velle, atque ejus esse

(a) *Cap.5.*
(b) *Cap.2.*
(c) *Cap.6.*
(d) *Loco citato.*
(e) *Cap.4.*
(f) *Cap.15.*
(g) *Cap.1.*

esse authorem agnoscitur. Luculenter igitur infertur, nunquam Deum cacodæmones destinasse ex ministerio ad homines tentandos atque sollicitandos ad malum. Spontè itaque homines tentantur a cacodæmonibus, licèt Deo permittente: quamobrem ob maximam, quam habent adversùs genus humanum, invidiam, ad illud sollicitandum ad malum, non verò cogendum, semper sunt proni: & ideo Angelicus Doctor (a) ait: *Dæmones, dum homines ad omnia peccata inducunt, omnium peccatorum reatum tentando incurrunt*; idcircò tantùm permissivè ad hujusmodi tentationes, & suggestiones Deum se habere statuitur, quatenus easdem impedire posset, & ob altissimos suæ Providentiæ fines inhibere desinit.

VI. Cacodæmonum tentationem esse de fide *saltem in genere*, modò protuli: quia in specie, seu in individuo, nempè erga Petrum, Franciscum, cæterosque homines ad malum tentatos, esse cacodæmonum tentationem semper de fide assentiri nequit: etenim unusquisque non a dæmone, sed a concupiscentia sua, utplurimum tentatur, ut apertè habetur in relato Jacobi loco (b) *unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua, abstractus, & illectus; deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum*. Quapropter uti Synodus Tridentina (c), definit, in baptizatis concupiscentiam, seu fomitem manere, quique juxta communem sensum aliud non importat, nisi naturalem illam inclinationem ad delectabile atque voluptuosum bonum primò in nobis excitam post Protoparentis culpam: hujusmodi autem naturalem inclinationem nullatenùs nobis esse imputabilem, utpote nobis minimè voluntariam, uti citatum Tridentinum loco laudato declarat. Quare si vi hujusmodi fomitis videtur homo viator prorsùs pronus ad bonum honestum relinquendum, scilicet bonum in genere morum ad æternam vitam ordinatum, amplectendumque bonum delectabile, sive in genere naturæ, uti divitias, Regimen, & similia; sive in genere voluptatis ut crapulam, ebrietatem, & cætera, peculiari illecebra alliciatur; utique a concupiscētia sæpe sæpius tentari videtur; & si fortè hæc peccatum non gignit, efficaciæ actualis divinæ gratiæ per JESUM nobis promeritæ, naturalique quoque rationi suadenti, tribuendum esse constat; qua autem semota infallibiliter homo illo reatu illaberetur.

Hoc pacto quamplures Sacræ Scripturæ textus intelliguntur, in qui-

(a) *Part.1.qu.69.art.2.*
(b) *Ver.14.*
(c) *De peccato originali sess.5.Can.5.*

quibus ſpiritus mendacii, ſpiritus fornicationis, de mammona iniquitatis, ſimileſve leguntur, qui pro cacodæmonibus vitia ſuggerentibus nullatenus accipiuntur; ſed potius ipſam vehementem inclinationem, ac concupiſcentiam ad malum oſtendunt; uti pro comperto eſt penes Divum Auguſtinum (*a*) ubi inquit, *Et Rectores mundi tenebrarum harum; ne fortè cum dixiſſet mundi, intelligeret Dæmones eſſe rectores cœli, & terræ, mundi dixit, amatorum mundi, mundi dixit, iniquorum, & impiorum mundi.* Quibus dominantur cacodæmones, uti prius tentatis, & allectis a propria concupiſcentia: qua de re Divus Ambroſius (*b*) in Lucæ (*c*), *Fortaſſis*, ait, *etiam in typo mulieris illius Socrus Simonis, variis criminum febribus caro noſtra languebat, & diverſa cupiditatum immodicis æſtuabat illecebris; febris enim noſtra avaritia eſt: febris noſtra libido eſt: febris noſtra luxuria eſt: febris noſtra ambitio eſt: febris noſtra iracundia eſt.* Igitur apertiſſimum eſt, quempiam in individuo non eſſe de fide a cacodæmonibus, quin potius a propria febre, ſeu concupiſcentia tentari: quamplures namque in ſacro eloquio propoſitiones exaratæ reperiuntur, quæ in genere tantùm eſſe de fide dicuntur, non verò ita ſi in ſpecie, aut melius in individuo comprehendantur, ut illa (*d*) *Omnes inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*: & alter Text. *omnis homo mēdax*, & ſimiles, quæ acceptæ utpote veræ adhuc in individuo non niſi abſurdum, ut patet attendenti, gnignerent.

VII. Jure itaque merito Sancti Patres vitia noſtra dæmones nominant. Chryſoſtomus (*e*), *Peccatum*, inquit, *eſt magnus dæmon*. Petrus Chryſologus (*f*) ait, *Sicuti Domino qui ſe jungit, unus ſpiritus eſt; ita qui ſe jungit diabolo per peccatum, eſt dæmon unus*. Aliique paſſim: cum autem peccatum ſit etiam concupiſcentiæ partus, quæ inſtar cacodæmonis licèt immediatè homines tentet, quæ cum conceperit, eoſdem effectus parit, quos & cacodæmonis tentatio gignit. Itaque ex hiſce relatis unumquemque immediatè a propria concupiſcentia tentari luculenter infertur.

VIII. Quantum verò ad cacodæmonis potentiam ſpectat, utique cacodæmones interdum homines obſidere videntur: etenim hi ubi operantur, ibi ſunt. Hinc eſt, quod corporibus illa-

(a) *In pſal.* 54.
(b) *Lib.* 4.
(c) *Cap.* 4. *circa finem.*
(d) *Pſal.* 51.
(e) *Oratione* 3. *contra Judæos.*
(f) *Serm.* 5. *de filio prodigo.*

illabi, seu introire corpora dicuntur; qua de re ratione operationis, ipsi substantialiter, idest secundùm substantiam suam, in corporibus esse verè creduntur; licèt non ita secundùm substantiam, ut sint de substantia hominis, seu per modum formæ substantialis; aut interni principii corpus moveant, sicuti anima movet; sed instar motoris externi, uti navim Gubernator movet.

Quamobrem duplex est diabolicæ obsessionis genus, alterum imperfectum dicitur, quo circa sensus hominum exteriores cacodæmon variè operatur, eosque immutando, vel intrinsecus in organa impedimentum ponens; vel forinsecus objiciendo species alienas, vel alio quocunque modo iis illudendo, ita ut homines ea, quæ non sunt, videre sibi videantur. Hujusmodi generis imperfecti quædam exempla refert Sanctus Pater Augustinus *(a)*: quare talia patientes potius vexati, quàm obsessi a cacodæmonibus vocari debent.

Alterum positæ obsessionis genus perfectum est, quo cacodæmon ita hominis imaginationem commovet atque perturbat, ut mentis usum impediat; ex eo quia variè humores in corpore concitando, vel magis immediatè circa interiores sensus operando, species aut inexistentes permiscet, aut novas & peregrinas objicit. Et quia Phrenetici ob humorum variationem pariformiter eosdem pati effectus cernuntur, & verè obsessi haud sunt; ideo a communiter doctoribus discrimen hoc inter obsessos, & phreneticos est excogitatum, nempè si arcana dicta, aut facta nunquam visa, nec audita produnt, vel alio idiomate nunquam per laborem acquisito loquuntur, vel quid simile ultra propriam naturam, & vim faciunt; tunc non phrenetici, sed obsessi verè dicuntur, quique græco vocabulo Energumini etiam appellantur, quasi inoperati, idest ab inoperante spiritu acti. Quod autem cacodæmon totum hoc exercere valeat, pro comperto est in sexcentis Sacræ Scripturæ locis, cum unanimi Patrum, Theologorumque sensu, necnon ex quotidiana experientia constat.

Neque ex inde relatis inferas, cacodæmones hominum mentibus illabi etiam posse; fortè quia in sacro textu exaratum reperias, diabolum misisse in cor Judæ, ut Dominum traderet Joan. *(b)*; sicut Lucæ *(c)* diabolum intrasse in Judam, quando consilium cæpit tradendi Dominum; pariterque observatur Actorum *(d)* ubi Petrus dicit Ana-

(a) *Lib.18.de Civit.Dei cap.18.*
(b) *Cap.13.*
(c) *Cap.22.*
(d) *Cap.5.*

Ananiæ, *cur implevit Satanas cor tuum?* nomine autem *cordis* Mens penes omnes necessariò intelligi debet. Nam relatæ Auctoritates, similesve, tantùm de iis sugestioni cacodæmonum consentientibus intelliguntur, cum per consensum, quem exhibent ad malum suggestum, cacodæmon in cor hominum intrare dicitur, ideſt secundum effectum suggestionis extrinsecus adhibitæ; ita Gregorius (*a*), & Fulgentius (*b*). Quapropter Deum duntaxat hominum mentibus illabi posse, illasque implere, Patres, & Theologi docent, Divus Augustinus (*c*), Bernardus (*d*), Didymus (*e*), Gennadius (*f*), aliique asserentes solius Dei esse, animas implere sive substantia sua, scilicet præsentia suæ naturæ, uti docet Apostolus Actorum (*g*): *Non longe est ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, movemur & sumus*: sive sua sanctificante gratia habituali, ut illud Actorum (*h*): *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto*; aut illud Ecclesiæ, *Reple tuorum corda fidelium*. Sive implere per cognitionem, uti Joannes (*i*): *Major est Deus corde vestro, & novit omnia*. Sive implere cor hominum dicitur juxta eorum desiderium (*k*): *Qui replet in bonis desiderium tuum*, Et (*l*) *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*. Cacodæmones igitur hominum cordibus, seu mentibus illabi haudquaquam valere concludendum est.

IX. At si cacodæmonum potentia naturalis benè perpendatur, utique non levis momenti esse cernitur: etenim de diabolo in scriptura legitur Job (*m*), *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei*; & Apostolus ad ephes. (*n*) eundem, Principem potestatis aeris hujus nominat, & (*o*) cacodæmones, principes, & potestates, & mundi Rectores tenebrarum harum vocat: ita ut cacodæmones molem aliquam movere, & transferre de loco ad locum benè possint, uti de volatu Simonis Magi, quem in altum subvexerunt (quicquid sit, Henricus Vale-

(a) *Lib.6.Epistolar.Epist.31.*
(b) *Epist.1. cap.8.*
(c) *Lib.de spiritu, & anima cap.27.*
(d) *Sermone 5.super cantica.*
(e) *In libris de Spiritu Sancto lib.1.*
(f) *Lib. de ecclesiasticis dogmatibus cap.82.*
(g) *Cap.17.*
(h) *Cap.2.*
(i) *1.Epist. cap.3.*
(k) *Psal.102.*
(l) *Psal.16.*
(m) *Cap.14.*
(n) *Cap.2.*
(o) *Cap.6.*

Valesius (a) Historiæ Eusebii Cæsariensis de hujusmodi volatu subdubitare videtur) tamen ex Evangelio constat de quodam cacodæmone puerum aliquem modò in ignem, modò in aquam transferente. Quinimo pro comperto quoque est, quosdam obsessos parietem rectos ascendisse, & domorum culmina attigisse; necnon easdem maleficas per aerem, & per longa terrarum spatia ope cacodæmonum translatas esse adhuc compertum est. Idemque de magnorum corporum motu, mira celeritate efficiendo affirmandum: nec non tempestates concitare, incendia excitare, evertere domos, animalia interficere, morbos immittere, atque totum humanum genus deperdere, similiaque efficere valeant; nisi Deus sive immediate, sive mediantibus bonis Angelis vetaret. Sic Augustinus in espositione (b) confirmat, *Quid autem possint per naturam, nec possint per prohibitionem.* Neque tamen Solem, vel Lunam, aut Cœlum a suo motu, aut contrario sistere possunt; cum tantùm Deus utpote eorum, cæterorumque Author per miraculum, uti cum Josue exercuit, efficere potest. Quemadmodum nequeunt secundùm formas essentiales, sive accidentales corpora immutare, nempe occisum vivificare, illumque in aliud transformare, aliaque inducere: etenim materia ad nutum cacodæmonibus minimè obsequitur, uti benè relatus Sanctus Pater, & Doctor (c) his notis expressit: *Non est putandum, istis transgressoribus Angelis ad nutum servire hanc visibilium rerum materiam, sed soli Deo.* Insuper sine ulla præexistente materia aliquid producere nullatenus valent; cum hoc sit creare, quodque duntaxat Omnipotentiæ divinæ est tribuendum.

X. Quamplurima insolita, & admiranda in rebus corporeis cacodæmones tribus modis operari solent. Primò per illusionem tam interiorum, quàm exteriorum sensuum, quibus species, & phantasmata rerum non existentium, vel non præsentium objiciunt, vel immittunt. Secundò dum summa atque imperceptibili celeritate sublato aliquo corpore aliud substituunt, ut statim productum videatur: hisce duobus modis utique homines ab illis falluntur. Tertiò, dum activa passivis applicant, ut aliquid insolitum, vel solitum, sed novo hominibus inscio modo generetur, ex quo ab iis multa effici videantur præter naturæ ordinem, cum revera naturalia sint: omnibus autem

(a) *In adnotation. cap.* 15.
(b) *Psal.* 96. *& lib.* 3. *de Trinitate*, *Cap.* 9.
(c) *Loco cit. de Trinitate cap.* 8.

antem istis modis, sive per se, sive per alios nempe Magos cacodæmon operari potest; quorum quamplurima exempla penes Sanctum Augustinum (*a*), & tribus sequentibus; & (*b*), & Eusebium (*c*) atque Henricum Valesium (*d*), attentè perlegi possent.

XI. Demum compertum est, cacodæmones propria virtute vera miracula efficere non posse: nam si boni Angeli, & reliqui Sancti illa promere, ex se absque divina virtute non valent, quominus & cacodæmones; cum tributum hoc sit duntaxat solius omnipotentiæ: etenim miraculum, juxta Theologorum sensum, est opus illud, quod totius naturæ facultatem excedit, quodque præter rerum communem cursum mirè cernitur: uti est, Virginem generare, cæcum illuminari, solem cohibere, & similia; quia tota natura a Deo duntaxat essentialem dependentiam agnoscit; idcirco solummodo ejus nutui obsequi debet, uti Divus Augustinus docet (*e*). Quare Doctor Angelicus (*f*) instruendo declarat, Sancti miracula facere dicuntur, uti instrumentum Divinæ Potentiæ, sicuti sacramenta ipsa sunt respectivè ad productionem gratiæ, sive ad preces eorum talia immediatè a Deo interdum fiunt; idcirco fieri potest præsertim ad malorum punitionem, ut Deus in exhibendis miraculis, cacodæmonum ministerio utatur, ut benè exponit relatus Sanctus Pater (*g*), ubi legitur *immissiones per Angelos malos*.

Hinc sequitur, non solùm cacodæmones hac virtute vera miracula patrandi carere; verùm, etsi fieri quodammodo videantur, profectò falsa sunt: etenim facultatem naturalem non excedunt, sed intra naturæ ordinem miris præfatis modis ab eisdem operantur, ad incautos, & socordes homines seducendos, uti docet Apostolus (*h*) *cujus est adventus secundùm operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus*; ubi luculenter talia cacodæmonum miracula, falsa signa, & prodigia mendacia ab Apostolo nominantur; cui adstipulatur certè Divus Augustinus (*i*).

CAP.

(a) *Lib.3. de Trinitate cap.6.*
(b) *Lib.18. cap.18.*
(c) *Lib.7. historiæ cap.13.*
(d) *Cap.17.*
(e) *Lib.3. de Trinitate cap.6.*
(f) 2.2. *quæst.*178. *art.*1.
(g) *Psalm.*77.
(h) 2.*ad Thessal. cap.*2. *ver.*9.
(i) *Lib.*20. *de civitate cap.*19.

CAP. VIII. Et Ultimum.

An in præsenti providentia Cacodæmones hominum mentibus illabi, eorumque corpora obsidere possint, aliudve malum afferre? & quomodo a nobis vitandum.

SYNOPSIS.

I. *Humanum genus sub Dæmonum potestate deperditum; a Divino Verbo incarnato redemptum, & restitutum fuit, & hoc de fide est.*

II. *Quid exprimit Redemptio, enucleatur, & à qua potestate fuit humanum genus redemptum.*

III. *Homines utpote a diabolica potestate liberi, cacodæmones vereri non debent.*

IV. *In sano sensu homines ne quidem erant sub dæmonum potestate ante incarnationem; quonam sensu eisdem subjiciebantur, explanatur. Nec non cacodæmones in præsenti providentia, ex propria eorum voluntate, hominum præsertim fidelium mentibus, corporibusque illabi minime possunt.*

V. *Quando cacodæmones dicuntur in præsenti providentia hominibus illabi non posse, de potentia permissiva, seu quodammodo jurisdictionis; non verò de potentia naturali intelligendum est.*

VI. *Ad hoc, ut hominibus illabi, eisque nocere cacodæmones valeant, Dei expressam permissionem, atque licentiam exposcunt:*

VII. *Duplici de capite cacodæmones malum aliquod creaturæ efficere permittuntur.*

VIII. *Fides, ejusque professio est medium aptissimum, quo fideles benè utendo, cacodæmones, eorumque opera eliminant.*

IX. *Duo responsa allata a cacodæmonibus, quibus declaratur, Profitentibus fidem, omni modo fideles a noxiis procul esse debent.*

I. POst nostri Protoparentis culpam, quisque inter Christifideles educatus, facili negotio est conscius, in quot ærumnis præsertim spiritualibus humanum Genus usque ad divinum incarnatum Verbum ingemiscebat; cùm evecto Dæmonis vexillo, ejus ditioni atque potestati subjiciebatur, eundemque uti Numen, & latriæ obsequio colebat, uti inter cæteros libros Historiasque, quinque illi Moysis libri clarè testantur: ex quo homines ex hac vita abeundo, mortem æternam consequebantur, a qua nemo, generaliter loquendo, se eripere poterat;& quod pejus erat tota miseratione dignũ, ut a nulla pura creatura potuisset, imò adhuc si totum creatum universum in victimam corã Deo cremaretur,Divinæ Justitiæ de condigno fieri satis, scilicet tali satisfactione,quæ propria sui virtute sat est ad delẽdam offensam,ad offensam Divinam Personam placandam, eamque recõciliandã offendenti(oppositum dic de satisfactione de congruo)ut apud Basilium in illud Psalm. *Redimet homo, non homo nudus, sed homo Deus JESUS Christus, quia nullus alius poterat condignum offerre pretium*. Quare stante humano genere hac tanta miseria laborante, Divina illa infinita Bonitas, cujus proprium est misereri, ob maximam dilectionem, quam erga homines habebat, Divinum Verbum filium suum misit, ut humanitate nostra indutum, condignam satisfactionem Divinæ Justitiæ afferret, uti apud Joann. legitur (a). *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*. Quamobrem per hujusmodi nostræ carnis assumptionem Æternum verbum inter cætera beneficia humano generi collata, duo præcipue principaliora eidem contulit, Divinæ nempè Justitiæ satisfactionem, & humani generis redemptionem; ex quo nomen Redemptoris obtinuit, uti videre est ad Ephesios 1. *In quo habemus Redemptionem per sanguinem ejus*. Ad Timotheum (b), *unus mediator Dei, & hominum homo Christus, Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Actorum (c) *hunc Deus Principem, & Redemptorem misit*, aliique passim. Igitur certissimum est utpotè inter fidei nostræ dogmata, evidentius hoc in scripturis exaratum, humanum genus fuisse Redemptum.

II. Quæro quid dictio illa *redemptio* explicet? Et licet nonnulli (d) inferant, quod stat pro *conducere*, & ideo Redemptor pro conductore usur-

(a) *Cap.3.ver.16.*
(b) *Cap.2.*
(c) *Cap.7. v.35.*

(d) *Ex l. plenum §. operas ff. de usu & hab.*

usurpatur; tamen in vero, & proprio germano sensu pro liberare sumitur uti in can. Semel immolatus (a) ubi legitur, *Quod redemptio vivorum, & mortuorum fuit passio Christi Domini*. Et Ulpianus (b) pro eodem significato explicat, illis verbis, *qui delatorem redimit*. Sicut Marcus Tullius (c) inquit, *qui suis facultatibus captos a prædonibus redimunt*. Quare humanum genus redemptum, ideoque liberatum fuisse, liquet. Et iterum quæro, a qua captivitate, a qua servitute, a qua potestate? nonne ab illa cacodæmonis? & hoc quoque constat in eloquiis sacris, ad Galatas (d) *Qui subintroierunt explorare libertatem nostram: quam habemus in Christo JESU*. Et (e) *Vos enim in libertatem vocati estis fratres*. Ad Hebræos (f) *Ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, idest diabolus; & liberaret eos, qui per totam vitam obnoxii erant servituti*. Ad Corinthios (g) *Qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit, in quem speramus, quoniam & adhuc eripiet*. Atqui hujusmodi textus quia luculenter nos factos esse liberos a potestate cacodæmonum non videntur ostendere; ideo & illum ad Colossenses (h) adducam, cujus verba hæc sunt, *Qui* (idest Christus) *eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regno filii dilectionis suæ*.

Hoc autem fidei dogma passim Sancti Patres communiter tradiderunt, quorum pauci pro brevitate hic referuntur. Augustinus (i) in Joannem in fine, sic ait, *Quia erat Dominus, mortem moriendo superaturus, & tropheo Crucis, de Diabolo mortis Principe triumphaturus*. Gregorius (k) *Infernus*, inquit, *agnovit quia hos, quos tenebat mortuos, reddidit*. Et idem Gregorius (l) ait, *ad Mariam quoque Gabriel mittitur, quia Dei fortitudo nominatur; illum quippè nuntiare veniebat, qui ad debellandas aereas potestates, humilis apparere dignatus est*. Petrus Chrysologus (m) fatetur, *exstinctus est diabolus*, scilicet quoad ejus potestatem erga præcipuè homines fideles Christi Domini. Hilarius Comment. in Math. (n) post initium, docet, *O in nuncupatione novi Nominis felix Ecclesiæ fundamentum: dignaque ædi-*

(a) *Dist.2.de Consecr.*
(b) *In l.ejus 29.ff.de jure fisci.*
(c) *Lib.2.de officiis.*
(d) *Cap.2.*
(e) *Cap.5.*
(f) *Cap.2.*
(g) *2. Cap.1.*
(h) *Cap.1.*
(i) *Tract.50.*
(k) *In homilia 10. in c.2. Matthæi*
(l) *In homilia 34. in evangelium ante medium.*
(m) *De S. Apollinare 128.*
(n) *Cap.16.*

ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolveret! cæterosve Patres uno ore idem fatentes pro comperto est.

III. Quare si verum, imo verissimum sit, sicuti est verissima ipsa fides Divina, homines a potestate diaboli liberatos fuisse; clarum est consequens, quod descendit, scilicet in præsenti providentia haudquaquam cacodæmones posse ex mera eorum voluntate independenter ab omni Dei permissione atque licentia illabi hominum mentibus, eorumque corpora obsidere, atque eis nullatenus quodvis malum afferre. Aliter ad quid liberatio atque redēptio hæc nobis prodesset? nullumque videretur discrimen inter homines redemptos, illosque ante redemptionem, cum sub eodem cacodæmonis jugo essemus, quodque dicendum minimè est. Adde, quia hoc sonat liberare atque redimere. Sit exemplum hoc, si Titius a Turcis, aliisque hostibus captus fuisset, durante captivitate, sub eorum potestate agnoscitur, ita ut de eo disponere uti libet valeant, ipsum vendentes, vel interficientes; sublata verò captivitate per redemptionem, scilicet per cujusdam pretii solutionem, Titius ille uti redemptus, & perventus ad suam pristinam libertatem, & patriam, ex hostium sævitia est jam ereptus, & liberatus, eosdem amplius non formidans, uti benè attendenti patet. Ita & de casu redemptionis nostræ, utpote pretio infinito liberati, fortè non idem, imo a fortiori affirmandum sit? Tanto magis quia si in sacris literis nos factos filios Dei per adoptionem, hæredes Dei, & cohæredes cum Christo Domino de fide exprimitur, uti legitur ad Romanos (a) *Quod sumus filii Dei; si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*. Et paulo post, *& prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse Primogenitus in multis fratribus*. Si itaque filii, & hæredes Dei, & cohæredes Christi Domini nominamur, quomodo & adhuc cacodæmonis potestati subesse possumus? Summopere de dubitantibus erga veritatem hanc mirror, quod perindè esset, ac in solis luce cæcutire. Quinimo adhuc esset, injuriam ipsi Christo Domino irrogare, quatenus de insufficientia sua incarnatio redargueretur: quia hæc non videretur sufficiens a potestate diaboli ad genus humanum liberandum.

IV. Propterea hìc argumentum a fortiori fieri potest: nam si ante incarnationem, ubi diabolum dicimus totam supra genus humanum po-

(a) *Cap.8.*

potestatem habuisse (dicitur potestatem habere, quod utique in sano sensu intelligi debet, idest per peccatum; non verò per creationem, cum revera cacodæmon creatura est, & non creator) ad jacturam ferendam Job, expressum a Deo permissum obtinuit, uti legitur Job (a); quanto fortius asserendum videtur post Redemptoris atque Salvatoris adventum? quia è manu ejus prorsus illud sublatum est: in citato loco, sic cernitur, *Ecce universa, quæ habet Job, in manu tua sunt; tantùm in eum ne extendas manum*: ex quibus verbis limitatam licentiam, & non plenam supra Job a Deo Satan obtinuisse constat; igitur consequens a fortiori illatum, sublata quavis hæsitatione, benè firmatur. Et sanè in Exodo (b) legitur, *Feceruntque similiter malefici incantationibus suis, ut educerent scinifes, & non potuerunt*: adeout (c) coacti fuere hisce notis uti, *dixerunt malefici ad Pharaonem: digitus Dei est hic*. Et tamen in eodem Exodo observatur, quod paulò antè malefici idem fecerunt, quod Moyses ad Pharaonis cor emolliendum effecit (d): *Vocavit autem Pharao sapientes, & Maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes arcana quædam similiter*. Qua de re cacodæmones licèt plurima tunc temporis exercere potuerint; tamen Domino Deo prohibente ea exercendi potestate carebant; ideoque malefici verba illa protulerunt *digitus Dei est hic*. Quanto fortiùs nunc, quod perpetuò cacodæmonibus interdictum est dominium, & posse adversus humanum genus: quamobrem cum Christo Domino fortiter cacodæmones conquerebantur, dùm ita exclamarunt Matth. (e) *Quid nobis, & tibi, Jesu filii Dei? venisti huc ante tempus torquere nos?* Nonnulli itaque allati textus interpretes ita docent, nesciebat diabolus, se ex hominum Dominio expellendum, & tyrannidem, quam in illos exercebat, amissurum per Christum Dominum ejusque mortem; quando postea agnovit se spoliatum tali tyrannide, omnique potestate, & dominio a Jesu filio Dei, exclamare adversus eum non desinebat.

Insuper de hujusmodi veritate ipsemet Christus Dominus nos tutos reddidit, quando Divum Petrum ita allocutus est Matth. (f) *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*. Adverte

(a) *Cap.*1. & 2.
(b) *Cap.*8. *v.*18.
(c) *Vers.*19.
(d) *Cap.*7. *vers.*11.
(e) *Cap.*8.
(f) *Cap.*16. *vers.*18.

verte nomine Ecclesiæ veniunt omnes Christi Domini fideles sub unō Capite visibili, & Magistro Romano Pontifice; nomine autem *portæ inferi* profectò cacodæmones intelliguntur: cum igitur Christus præfata verba protulerit, perinde est ac si dixisset, *cacodæmones adversus omnes fideles meos non prævalebunt*. Et deinde hanc ultimam rationem perlege, si cacodæmones independenter ab omni Dei licentia atque permissu, & propria eorum voluntate nocere nobis possent, jam Genus humanum esset ab eisdem, ob supremam invidiam, quam adversus ipsum fovent, extinctum, vel saltem obsessum: quare hoc est juvamen, quod Christus Dominus nobis inter ingentia contulerit. Itaque ex omnibus hucusque dictis, Lector sapiens, factus es tutus atque suasus de hujusmodi veritate, scilicet cacodæmones penitùs ex mera eorum voluntate mentibus illabi, corporaque hominum obsidere, eisque jacturam quamlibet afferre, independente expresso Dei permissu, atque licentia minime posse; & hoc tibi constat ex tot adductis sacri eloquii authoritatibus, aliisque communium Patrum, atque rationibus, quibus evidenter meo judicio videri prædicta veritas ostenditur.

V. Quod autem dixi, cacodæmones id non posse, intelligendum est de illa potentia permissiva, seu quodammodo jurisdictionis, atque facultatis; non verò de potentia naturali, scilicet attenta eorum naturali virtute, sive posse, ex propria substantia proveniente: etenim hæc naturalis potentia, sive virtus in actu primo a Christo Domino eis sublata nullatenus fuit, quia est debita eorum naturæ, quæ quantæ efficaciæ, & ponderis sit, supra dictum est: igitur cacodæmonibus ponendi naturalem eorum virtutem adversùs homines in actu secundo, idest, in actuali exercitio dumtaxat, vetitum est; sicuti eodem exercitio atque pleno dominio ante Christi Domini adventum utebantur: quodque testatur Sanctus Pater Aurelius Augustinus (a) ubi sic ait; *Quod autem possint dæmones per naturam, nec possint per prohibitionem; & quod per ipsius naturæ suæ conditionem facere non sinantur, homini explorare difficile est, immo impossibile, nisi illud donum Dei, quod Apostolus commemorat, dicens aliis dijudicatio spirituum*. Quare ex mente Augustini, quasi donum Dei exquiritur, quod esset donum dijudicandi spiritus ad perpendenda cuncta, quæ, attenta cacodæmonum natura, effici possent; tamen per perpetuum

veti-

(a) *Lib. 3. de Trinitate cap. 1.*

tum a nostro Redemptore severissimè factum prorsùs fieri non sinantur.

VI. Ex quo sequitur quod si, alicui creaturæ interdum a cacodæmonibus aliquod malum fiat, hoc ex speciali Dei permissione, seu licentia accidit, quæ majoris permissionis est illa, quam Dominus Deus Satanæ adversus Job impertitus fuit: quandoquidem tunc temporis diabolus vexillum sui dominii supra humanum genus evehebat, & adversus Job licentia opus fuit: in præsenti igitur providentia cum diabolus est victus, ejusque potentia penitùs impedita, mera permissio minimè sufficit, sed majoris permissionis instar jussionis licentia a Christo Domino ei præstari debet.

Itaque ex dictis, quid vobis videtur, o dæmonum formidolosi? percontor, quomodo Christus Dominus totum suum sanguinem fudit, diram mortem patiendo, vos è cacodæmonum potestate redimendi gratia, & adhuc timetis? itaque firmiter profiteri vos exhortor, a Christo Domino victos esse dæmones, atque omni potestate adversus humanum genus spoliatos fuisse; ideo nullam jacturam neque animæ neque corpori afferre posse, ex eorum voluntate, ab omni independenter Dei specialissima permissione, atque licentia: benè igitur, si adhuc terreamini, dictum Scripturæ de vobis verificatur, *trepidaverunt timore, ubi non est timor*.

VII. Nihilominus hominibus cacodæmones malum inducere obsidendo, vel quid simile Dominus Deus interdum permittit. Et hoc duplici ex capite existimo, alterum est ad timorem aut dubium plectendum, quo afficiuntur fideles de cacodæmonibus, quos summopere, timent; imo ab eis, credent, damnum corpori inferri posse; & ideo mulierculas quasdam veneficas, atque homines striges, & magos, quos iratos aut irascendos adversus ipsos pavent, ne ab illis ope dæmonum, veneficio, aliisque malis ligentur: idcirco Christus Dominus, utpotè minus potens quodammodo creditur, ad falsam coercendam eorum credulitatem, inanem timorem, temerarium dubium, interdum ut veneficio afficiantur, aut a cacodæmonibus obsideantur, sapienter permittit: quemadmodum testantur Joannes Hider in suo præceptorio (a) & Martinus de Arles in tract. de superstitionibus, ajunt, *sortilegia*

(a) *Præcep. 1. cap. 9.*

gia & maleficia habent efficaciam, inter alia, ex parva confidentia, quam homines in Deum habent; ideo permittit, eos a dæmonibus impediri, secundum illud (a) quoniam in me speravit, & liberabo eum, idest justum: & per argumentum a contrario sensu; qui non sperant in Deum, dæmonis potestati relinquntur. Quare relatus Theologus de Arles in suo tract. quærit, unde provenit, quod fæminæ in majori numero superstitiosæ, & obsessæ reperiantur, quam viri? & simul cum cit. Hider hisce verbis dubium solvit: *quia mulieres promptæ, & faciles sunt ad credendum: fidem namque malam dæmon principaliter quærit*. Quodque adhuc probat Magist. Gerson (b) inquiens sic: *mala & falsa credulitas, Deo permittente, eventus malos interdum operatur, vel potius demeretur: nam experimur quotidie in male credulis, quos ita Deus punit, propter malam fidem; immo dum cognoscit Dominus nimium adhærere aliquibus vanis observantiis, permittit aliquos eventus contingere, & ita eos plus consequenter firmari in tali opinione, ut major fiat cæcitas eorum, & ita in laqueum cadant, quem sibi fecerunt*.

Alterum est, ad ostendenda mira Dei opera, licet quis bonæ conscientiæ, & vir sanctus sit; adeout neque ipse, neque parentes ejus peccaverint, & perfectè in Christum Dominum crediderint; & tamen a cacodæmonibus vel vexatur, vel obsidetur, vel aliquo alio malo afficitur: hoc accidere ex specialissima divina providentia dicendum est, uti legitur in Joann. (c) *Et præteriens Jesus, vidit hominem cæcum a nativitate, & interrogaverunt eum discipuli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? Respondit Jesus: Neque hic peccavit, neque parentes ejus: sed ut manifestentur opera Dei in illo*. Parem rationem in nostro casu adducere possumus, quoties de facto prædicta requisita concurrunt, scilicet, morum exemplaritas, & perfecta in Christum Dominum fides; & quoque a cacodæmonibus impeditur, tunc dicas, esse divinam voluntatem, ut manifestentur opera Dei in illo. Vel dicas esse occulta Judicia Dei, ut loquitur Apostolus ad Romanos (d) *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Hoc autem rarò accidit: nam si infinita bonitas nostri

(a) *Psal.* 110.
(b) *Par.* 1. *in triologio Astrologiæ conclus.* 6.
(c) *Cap.* 9. *a v.* 1. *usq.* 3.
(d) *Cap.* 11. *v.* 33.

nostri Redemptoris adhuc rarò cacodæmones vexare, vel obsidere, vel quovis alio malo impios & sceleſtes homines afficere permittit; a fortiori itaque rarò erga sanctos, & morigeratos Christicolas permittere assolet; ut ipsa experientia testatur: quandoquidem post pervolutas fortè omnes Sanctorum Chronicas, vix unicum inveni Sanctum a cacodæmonibus obsessum, nempe Sanctum Joannem, vulgo dictum, da San Facondo, cui hoc potius fuisse summam lætitiæ, & meriti occasionem, quàm displicentiæ, ob assiduum virtutum exercitium, ratione cujus adhuc dæmonum vexatio permittitur, ut magis cacodæmonum confusio ex invicta alicujus Sancti viri fortitudine oriatur, uti scriptor Sancti Joannis vitæ testatur.

VIII. Hæc autem fides, ejusque exercitium modus est, quo cacodæmonum timor adversùs nos expellitur. Quoniam, ut supra visum est, infernus, atque cacodæmones principatum suum jam perdiderunt; ideoque redempti, & liberati è diaboli ejusque Angelorum potestate, & translati sumus in adoptionem filiorum Dei: itaque nullam potestatem in nobis amplius habent; & consequenter nobis malum aliquod efficere nullatenus possunt, præsertim si fidei actibus assiduè utamur: etenim hujusmodi fidei exercitium non solum præceptum divinum, & ecclesiasticum est, ut in tot proscriptis Thesibus constat ab Alexandro VII. Innocentio XI. & Alexandro VIII. verùm & obsequium divinæ authoritati loquenti exhibeamus, & ob nostrum, quod reportamus, juvamen; & hoc videtur esse, ut si uniantur omnes venefici, stregones, atque striges, omnesque cacodæmones cum toto inferno, nil nobis obesse possunt; & ideo Apostolus Jacobus nos hortatur in sua can. Epist. (a) *Subditi ergo estote Deo, resistite diabolo, & fugiet a vobis*: & quo scuto ei resistere debemus? hoc nos docet Apostolorum Princeps (b) *cui resistite fortes in fide*: & clarius Apostolus Paulus ad Ephesеos (c) *induite*, inquit, *vos armaturam fidei, ut possitis stare adversus insidias diaboli*: & paulo post (d) clarioribus notis exclamat, *in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*. Quare meritò Leo Papa (e) vociferatur, *hæc fides diabolum vincit, & captionum ejus vincula dissolvit*: & sic unanimi doctrina Sancti Patres

Aa do-

(a) *Cap.4.*
(b) 1. *cap.1.*
(c) *Cap.6.*
(d) *Vers.16.*
(e) *Serm.2.suarum homil.cap.6.*

docent omnes fideles: ergo certiſſimum eſt per fidem,ejuſque exercitium, magnum a nobis terrorem dæmonibus incuti. Nam ſi in nomine noſtri Redemptoris tremunt, & contremiſcunt, atque curvantur in profunda latriæ adoratione omnes cacodæmones, totuſque infernus, uti conſtat ad Philippenſes (a) *In nomine Jeſu omne genufle-ctatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum*; a fortiori hoc accidet, quando firma fide ea, quæ Chriſtus Dominus revelare, & nobis largiri dignatus eſt, profitemur. Tantò magis ſi noſtræ fidei vera opera Chriſtianorum uniantur, o quantum nos terrorem dæmonibus incutimus: quoniam peccatum (dummodo non ſit infedelitatis) licet fidem non deſtruat, uti conſtat ex propoſitione expuncta ab Alexandro VIII. quæ eſt 12. in ordine; tamen eſt ſcutum nimis leve, immo mortuum, uti præfatus Jacobus (b) docet: *Fides, ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa*. Opus igitur eſt Chriſtianè, & Catholicè vivere, ut fides, quam profiteri tenemur, adversùs cacodæmones magis nobis proſit.

IX. Demum doctrina hucuſque relata, propria adhuc dæmonis authoritate quippe comprobatur, cum eandem dæmon Cypriano Mago confeſſus fuerit, ut in Breviario Romano ſexto Kalendas Octobris, in quo Eccleſia Sancti Cypriani, & Juſtinæ feſtum celebrat. Igitur Cyprianus primò artem magicam profitebatur, Juſtinæ virginis chriſtifidelis amore captus, omnibus, quas potuit, cantionibus magicis, veneficiis atque poſſibilibus ſuperſtitionibus, ut Virgo Juſtina ad illicitas voluptates induceretur, diu uſus fuit: atqui cum videret, nullum ex illis conſequi effectum, eundem dæmonem flagitando accerſivit, quare fruſtra ita operabatur: dæmon hoc ei præbuit reſponſum, *nullam illi artem proceſſuram adverſus eos, qui verè Chriſtum colerent*: quod Cyprianus intelligens, relictis magicis artibus, & verè pœnitentiam egit peccatorum, & baptiſmate ſuſcepto, martyrii aureolam ſimul cum Juſtina ſubiit.

Anton.Flo. (c) Aloyſius Lipomanus (d) & Bartholomæus Chaſſaneus (e) tradunt, quod, cum Divus Bartholomæus, unus ex Eccleſiæ Chriſti Apoſtolis, ingrediens in quandam Indiæ civitatem, ubi Dia-

(a) *Cap.2. v.10.*
(b) *Loc.cit. cap.2. v.17.*
(c) *In ſua hiſt. p.1. tit.6.cap.12. & ſequentibus.*
(d) *De vitis Sanctorum tom.1. p.1. & 2.*
(e) *In Catal. gloriæ Mundi par.3. inſpect.29.*

Diabolus ſcilicet in illo habitans, ita exclamare, & dicere cœpit: *Ceſſate miſeri mihi ſacrificia offerre, ne pejora, quàm ego, patiamini tormenta. Qui catenis igneis religatus ſum ab Angelis Jeſu Chriſti, qui crucifixus eſt ab Judæis, putantibus eum a morte detineri: Ipſe autem Jeſus per mortem regiam noſtram devicit, & principem mortis dominum noſtrum vinxit.* Quare ipſemet Dæmon præfatæ doctrinæ teſtimonium præbuit. Itaque tuti ſumus, & quævis hæſitatio a quovis præſertim Catholico, hanc doctrinam ſciente, procul eſſe debet; adeout ſi in ſenſu compoſito cum tali agnitione quoque dubitet, & timore cacodæmonum necnon veneficorum afficiatur, de eo quippe abſolutè dicitur temerariè timere; quia trepidat timore, ubi non eſt timor. Inſuper ex Sanctarum Virginum Mitildæ, & Birgittæ revelationibus doceor, corde & voce prolatis hiſce verbis, *Verbum caro factum eſt*, cacodæmones trepidare, & evaneſcere: dixi adhuc *voce*, quia cordium ſecreta cacodæmonum agnitioni non ſubſunt. Pariter ex quibuſdam piis Doctoribus quoque didici, audientem Miſſæ ſacrificium quotidie, devotione ſincera, maleficiis affici minimè poſſe: etenim in miſſa Paſſio Chriſti Domini commemoratur. Quinimo juxta communem Theologorum ſenſum, ab illo in Ara Crucis noſtrum ſacrificium accidentaliter differt, quatenus ibi cruenter, hic incruenter renovatur. Quamobrem omnis, præſertim fidelis quiſque, gratias Chriſto Domino agere tenetur, inter tot tantave beneficia ſuſcepta, fuiſſe hanc redemptionem noſtram è cacodæmonum manu. Tandem unuſquiſque doceatur, ex hucuſque dictis fidei actibus ſeſe exercere, ut prorſus tutus ſit toto vitæ decurſu, noſtroque Redemptori Chriſto Jeſu ſincera mente deſerviat, ad cujus laudem, & gloriam, ejuſque Sanctiſſimæ Matris ſine maculæ labe primo inſtanti ſuæ creationis conceptæ, hæc omnia dixiſſe ſufficiat.

FINIS.

INDEX

Rerum notabilium, quæ in hoc libro continentur.

Prior paginam, Secundus verò numerum significat.

A

An-

mu-

B

C

Ca-

Ca-

Cæ-

quid

F

G

H

Ho-

I

Idæ

K

L

M

Ma-

N

Nea-

O

som-

Prin-

Q

Qui-

Re-

Se-

Se-

 num

Tal-

Tor-

V

FINIS.

ERRATA CORRIGE.

ERRATA		CORRIGE
Sortius	fol.3. ver.1.	*Sortitus*
poemat	fol.3. ver.10.	*in poemate*
figuraturum	fol.7. ver.10.	figuratarum
discriminatura	fol.8. ver.29.	discriminatur à
Poemat	fol.7. ver.29.	in poemate
Poemat	fol.8. ver.3.	in suo poemate
Sudere	fol.9. ver.3.	*suadere*
loquutus	fol.11. ver.6.	loquutos
Unum	fol.11. ver.11.	*Nùm*
Quæ	fol.14. ver.4.	Quas
literale :	fol.16. ver.7.	literalem
Precipi posse	fol.21. ver.19.	præcipi in contrarium posse ;
Qua ex	fol.33. ver.10.	Quæ ex
Præscripta	fol.33. ver.32.	proscripta
fides	fol.37. ver.24.	fideles
Toto	fol.40. ver.20.	tot
ista	fol.44. ver.5.	ita
hominibus	fol.61. ver.22.	homines
verborum	fol.66. v.10.& 11.	literarum
revelatum	fol. 66. ver.3.	relatum
difficile	fol.76. ver.4.	nil difficile
extremis	fol.79. ver.35.	ex strenuis
furnus	fol.84. ver.20.	fumus
ordinandis	fol.93. ver.9.	ordinantis
omne	fol.131. ver.33.	omnes
ob igne	fol.132. ver.21.	ab igne
prædium	fol.141. ver.15.	præditum
Angelos	fol.157. ver.20.	Angeli
Nequent	fol.160. ver.29.	nequeant
rentur	fol.167. ver.10.	operentur
Apostolis	fol.186. ver.ult.	Apostolus
primo instanti	fol.187. ver.ult.	in primo instanti